


6 x X



M 12 . 83

… the Blenheim Library

1450

Autograph Signature
and Motto of
Ben Jonson
on the Title Page.





July 27, [illegible] Brantford


tanquā Explorator

CL. VERDERII PERIPETASIS

EPIGRAMMATVM VAriorum latius oratione soluta expressorum:

Eiusdem Bombycum metamorphosis, Ecloga cui titulus Aphtarques, & alia Poemata.

Ad clarissimum virum Antonium Verderium Dominum Valiispriuatæ & Luriaci, Regis Consiliarium, Ærarij apud Lugdunenses Antigraphæum, patrem suum colendiss.



Su̅ Ben: Jonsonij

PARISIIS,

APVD MATHVRINVM PREVOST,

Sub scuto Veneto, è regione D. Ioannis Lateranensis.

1581.

AD MVSAM SVAM, vt nectat coronam patri.

Pimplæa dulcis, poſcere quid, cupit
Vates: alumnum fœliciter tuum
Audi petentem nec Babylonias
Gaſas, nec almæ, te, feracis
Sardiniæ ſegetes: coronam
Nectas parenti floribus impetret
Pulchris. comatus tempora Cynthius
Donare digno munere, laurea,
Muſis amicos conſueuit.
Qui tibi, Muſa, placent & ipſi
Phœbus, ſorores hunc diligunt tuæ
Quid commoraris tardius? hinc moras
Propelle, cordis dimidium mei
Gratare, paſsim verſibus te
Perſequitur, veneratur atque.

PERIPE



PERIPETASIS EPIGRAMMATVM VARIORVM LATIVS oratione soluta expressorum,

AVTORE CLAVDIO VERDERIO.

Ad Patrem præfationis loco

EPIGRAMMA I.

Succensere caue, uersus ut legeris istos,
Continet haud doctos si mea charta iocos.
In promptu est ratio. Lapsis Helicona diebus
Cum peterem, exhaustus fons erat ille sacer.



COnsilium, tum bellicis expeditionibus, tum pacificis, tum publicis negotiis, tum priuatis: cum etiam & omnibus rebus subeūdis conferre plurimū (chariss. Pater) notius quidem est, quàm vt huic rei cōfirmationis neruos adhibere necesse habeam, vt ea demum rectè acta iudicētur quę gesta sint, & prudenter, & consulté. Quo argumento probè dixerit Sophocles, rationē humanis & actionibus, & operibus omnibus, alimentum suggerere, eáque à cōsiliis existere, non à manuum robore & industria confecta manare,

Γνῶμαι μὲν ἔργων τῶν ἐν ἀνθρώποις τροφοί,
Βουλαὶ τὰ δὴ ἐξέπραξαν οὐ χερῶν σθένος.

Quo porrò eſt Ciceronis illud referendum? Parua ſunt arma foris niſi ſit conſilium domi. Hæc tua de bellicis rebus ſentētia, Marce Tulli, Quid quæſo habes de domeſticis dicere? Audiamus hominem dignum certè & fide, & ſilentio. Domus inquit ea quæ ratione regitur, omnibus eſt inſtructior & apparatior rebus: quàm quæ temerè adminiſtratur. Et cum eodem vt dicamus. Omnia melius accurantur quę conſilio reguntur: quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur. Iſque demum rectum inire conſilium, mehercle, cenſeri debet, qui quoties quid agit, aut quidpiam agendum præmeditatur, perſcrutatur, atque diligenti voluit examine, quæ ratio actionibus inſit ſuis. Nam vt ait Ariſtoteles, omnis actio eſt ad finem aliquem referenda. Nec nobis vlla quidem obeſſe ratione poteſt, quod idem, de iis quæ ſunt ad finem, non de fine ipſo, conſilium eſſe commemoret. Conſilium enim vocemus trutinam, examen & conſiderationem, quæ ſi talis ſit, qualem præſcribimus, eſſe non poterit inutilis. Etenim ſic ad Lucilium Seneca, *Scire debet quò petat qui ſagittam vult mittere, & dirigere & moderari manu telum: ſimiliter ignorans quem portum petit, nullus ventus eſt ſuus.* Ne itaque (vt nec ab eius doctrina ſumus alieni: ſic nec ab eiuſdem verbis deflectamus) errent conſilia noſtra, quia non habeant quò dirigantur. Habebis breuiter rationem inſtituti mei. Hæc autem

tem duplex eſt : quarum ſic habet prior. Præterquam ad virtutem, & literas, me vehementer excitant tuæ ipſius virtutes, magnæ ſapientiæ coniugatæ & connexæ, tua ipſius tot diuerſa volumina, Proſopographia, Variæ lectiones, Reſpōſa Bartholomæi Tægij, Gallica Bibliotheca, in Ariſtophanis Plutum cōmentarius, Imagines deorum, qui ab antiquis colebantur, ex Italico Gallicæ expreſſæ, ac alia permulta quæ ſimul ex tuo Muſeo manibus omnium euoluenda prodierunt, & prodibunt tuæ virtutis diligentiæ, doctrinæ, & eruditionis, literatis omnibus & ſtudioſis ſpecimen attulerunt, imo planè declarauerunt. Præter hæc inquam priuatæ tuæ commonitiones (paternam tamen, licet familiares, authoritatem redolentes, nec quicquam ponderi grauitatis amplitudinis tuæ detrahentes) quibus me frequenter vltro ſpontéque currentem impellis, vt ſolent parentes, docti præſertim & ſtudioſi, (qualis profectò es) paſſæ non ſunt me lento turpíque correptū veterno deſidioſum iacere. Hoc itaque opuſculum elucubraui. Quid, inquam, elucubraui? Imò tempore confabulationibus, iocis ludíſque deuoto condidi, ne quid à ſtudiis quibus ſerius incumbendum arbitrarer, quidquam detrahi paterer, vt ſi prorſus expectationi tuæ non reſpondero, eam ſaltem omni ratione fallere, & tanquam eludere non videar. Parentibus enim familiare eſt & propè inſitū, ſuis optare liberis, vt ſuam, quãuis plerũque nequeant, (exemplúmque in prom-

ptu eſt, quod ego ipſe præbeo) perfectionē ſuperent. Hectoris eſt hæc deprecatio pro Aſtyanacte,quam tradit Homerus,ad Iouem habitam & reliquos cæleſtis curiæ præſides. ô Iupiter, cœlitéſque, obſecranti mihi concedite,vt meus iſte filius,par mihi ducatur, animi magnitudine & robore corporeíſque viribus. Date Troianis vt imperet. Date vt me pietate longè prædicetur inſignior.

Ζεῦ ἄλλοι τε θεόι: δότε δὴ καὶ τὸν δὲ γενέσθαι,
Παῖδ' ἐμοῦ ὥς καὶ ἐγὼ περαριπρεπέα τρώεσιν
Ὧδε βίηναγαθὸν καὶ ἰλίου ἶφι ἀνάσσειν,
Καὶ ποτὲ τὶς ἐιπῄσι πατρὸς,δότε, ἐπόλλον ἀμεῖνον.

In dubium reuocare nolim (chariſsime pater) quin ita ſis erga me affectus. At quando ne minimum quidem poſſum tuæ perfectionis attingere,ne dicam aſſequi, ſatis mihi fuerit ſi negligentiæ nomine carere meus me faciat labor, méque amico in literas animo cenſuerit, tua prouidentia,in iudicando ęquitas & clementia. Ab inſtituto quoque noſtro alienum non eſt,vt matris meæ, ſponſæ tuæ vxoríſque chariſsimæ, ac reliquorum conſanguineorum & amicorum noſtrorum,qui vita ceſſerunt,funera condoleamus, ac memorem, prout & debeo,& facio, me præſtem propensúmque meum in eos animum explicem tibi, quem dum Deus optimus ſuperſtitem mihi conſeruauit, omnibus me cumulauit donis. Iterum diutiſsimè conſeruet obſecro. Eorum idcirco Epitaphia ad calcem habebis, quos Deus amet, velim & ſuo habeat in ſinu & complexu.

complexu. Hæc ſumma. Tu ſi nihil in iiſce nugis boni repereris, excuſationem excipe, quam ſuperiori Epigrammate ſum complexus. Veteribus enim tanta ciborum fuit auiditas, vt nulla ſuis poſteris edulia, aut fercula apponenda reliquerint, ſi quos fortè excipiendos habeãt. Tanta fuit eorundèm ſitis, vt penitus ſacrum illum Hippocrenes fontem exhauſerint. Quod Petrus Ronſardus queritur fuſius & copioſius in Elegia quadam ad S. Genes. A quo non diſſonat illud Terentij, nihil dictum quod non ſit dictum prius. Vale, & in legendis iis bona tua venia vtere & pace.

Χαίρειν καὶ εὖ πράττειν.

De eiuſdem Bibliotheca Gallica.

Cur tibi tot paßim, Philomuſe, uolumina quæris?
Hoc tibi cunctorum, ſi legis, inſtar erit.
Nam congeſta tenet Gallorum ſcripta uirorum
Omnia, nec Phœbus tot Palatinus habet.

In quendam ſeſe præferentem mihi generis cauſa.

Sit tibi nulla mei generis contentio, namque
Præſtas: attamen es nobilitate minor.
Ex magni Pallas fertur Iouis orta cerebro,
Fertur & illa meum progenuiſſe patrem.
Non eſt obſcurus, ſupremis notus & imis,
Sic repeto (notum eſt) à Ioue principium.

In alium itidem generis præſtantia tumentem.

Ponis in efficta genitoris imagine laudes:
Et ſic eſt ſimilis prorſus imago tibi.

Quid genus & proauos? quid nomen inutile iactas?
Ta o, quidquid habes nobilitatis, inest.

Referre plurimum existimaui semper ortum suum à claris & minimè obscuris parentibus repetere, vt huic sententię planè annuit, imò assentitur Cheroneus ille Philosophus & historiographus Plutarchus, qui floruit sues inter beoticas per naturæ quoddā quasi miraculum, innumera enim ignobilitatis opprobria consequuntur eos, qui aliqua macula pertincti ex parte parentū sunt, eáque deleri nulla ratione possunt: quinimo eos per omnem vitæ curriculum comitantur: súntque in promptu maledicis omnibus & côuitiari volentibus. Nec verò hęc tantùm habet, sed & versus recenset ex Euripide, à re minimè alienos: quibus apertum est liberos fœliciter, & prosperè degere non posse, ni iacta sint bene sui generis fundamenta:

Ὅταν δ' κρηπὶς μὴ καταβληθῇ γένους
Ὀρθῶς, ἀνάγκη δυστυχεῖν τοὺς ἐκγόνους.

Pulchrum igitur libertatis thesaurum nobilitatem, exclamat Plutarchus καλὸς οὖν παῤῥησίας θησαυρος ευγενεια. Quis nescit eos quorum effictum est & adulterinum genus, ab omnibus aspernátos persæpè abiici, persæpè prosterni? Quàm bene Poëta cecinit conscientiam malorum, aut paternorum, aut maternorū fortes alioqui & præstantes viros in seruitutem trudere.

Δουλοῖ γὰρ ἄνδρα κἂν θρασύσπλαγχνός τις ᾖ
Ὅταν συνειδῇ μητρὸς ἢ πατρὸς κακά.

Quemadmodum contra implentur iactatione & tastu, qui claris orti sunt parētibus. Qua quidem

dem in re non minori cautione vtendum eſt. Qui enim laudibus obſtrepũt parentum,ſibiipſi ſunt vituperio,ſi ab eorum præclarè geſtis declinent,atque deſiſtant. Laus enim generis parentum tota eſt non ſua.Quod,hercle,latini cothurni facilè princeps Seneca expreſsit in Herculefurente,

Qui genus laudat ſuum aliena laudat.

Aliena? Quorſum ? Reſpondet Elegiacus Metamorphoseon 13.

Nam genus & proauos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra uoco.

Exigua certè res eſt parentũ imaginibus obniti, & propria nulla virtute præſtare. Quod qui faciunt nihil ab imaginibus ab inſigni quodam ſtatuario effictis differunt. Qua collatione vtitur Cœlius,ſed non ſolus opinor:nam & Horatius iis verſibus,illis recantatis, qui ne quidem Æſopum triuerunt,eandem inter eaſdem res facere videtur,

Quamuis pontica pinus
Syluæ filia nobilis,
Iactes & genus & nomen inutile
Nil pictis timidus nauita puppibus
Fidit,

Non ſum neſcius quin alludat hoc loco Lyricus ad pictas Troianorum naues in Italiam nauigantium:attamen nihil intereſt,quo minus,generis cum pictura comparationem hinc liceat colligere.Porrò cõgruunt maximè idola cum iis qui nulla virtute imbuti,nedum tincti præſtãtia ge-

neris inflantur, & tument ampullarum inſtar. Etenim illa ſpeciem referunt hominum, nec hominis quicquam habent: Item ij parentum ſuorum nomina dumtaxat referētes, externámque aliquando ſpeciem virtutes eorum non ſectantur, à quibus nobilitatem ſuam, & non aliunde repetebant. Quod alienum eſt ab animo generoſo & nobili, & à vera laude, quæ neſcio quomodo ab huiuſcemodi hominibus indagetur vbi non eſt. eam enim vt fugit neminem, virtutis præmium veteres cōſtituerunt, non generis.

Proh ſuperi quantum mortalia pectora cæcæ
Noctis habent!
— Quantum animis erroris ineſt!

Aureis characteribus dignam ſententiam protulit Sophocles in Aiace flagellifero.

Ζῆν αἰσχρῶς αἴσχρον τοῖς καλῶς πεφυκόσι.

Quam Horatius ita expreſsit ad verbum verſu eorum vltimo Odes 4. lib. 4. Carminum quos hic recenſendos mihi viſum eſt.

Fortes creantur fortibus, & bonis
Eſt in iuuencis, & in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam:
Doctrina ſed uim promouet inſitam,
Rectique cultus pectora roborant
Vt cúmque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.

Iphicrates Cerdonis filius, genus obiicienti ſibi & exprobranti Harmodio reſpondit acutè, non minus quàm prudēter, nobilitas quidem in me

ſi qua

ſi qua eſt,à me ipſo ſumit initium:at generis tui ſplendor extinctus in te vno eſt. Magna demũ ea laus eſt Ciceroni quàm de ſe ipſe prædicat, vt Hannibal apud Lucianum, nullis parentum ſuorum laudibus & meritis in remp.Romano populo cómendatum, ad ſummum honorum verticem virtute & diligentia conſcendiſſe, quippe qui non in incunabulis, ſed in cãpo ſit Conſul creatus.Hæc habet ſecũda oratione pro lege Agraria: *Nulli populo Romano pro me maiores noſtri ſpoponderunt, mihi creditũ eſt à me petere quod debeo, meipſum appellare debetis. Quẽadmodum cum petebam nulli authores generis mei me vobis commendarunt, ſic ſi quid deliquero, nullæ ſunt imagines quæ me à vobis deprecentur. Hic laudi tribuit quod ferè reliqui homines vituperio duxerunt.* Nõ poſſum tacere quæ ſuper hac re dicit Satyricus Aquinas: quamuis ſit tritum & peruulgatum?

Stemmata quid faciunt, quid prodeſt Pontice *longo*
Sanguine cenſeri,pictóſque oſtendere uultus
Maiorum?
—Nobilitas ſola eſt atque unica uirtus.

tum paulò pòſt,

Sed te cenſeri laude tuorum
Pontice noluerim Et rurſus,
Libera ſi dentur populo ſuffragia, quis tam
Perditus,ut Senecam dubitet præferre Neroni?

Et huius rei eſt Ætiologia apud Ouidium 1. de Ponto Elegia penult.

Non cenſus nec opes,nec clarum nomen auorum,
Sed probitas magnos ingeniúmque facit.

Sit

Sit itaque ſola de moribus ſolicitudo, cui genus eſt perobſcurum,

Vt quantum generi demat uirtutibus addat.

Verum generi quid poteſt adimi? Quid profectò non video, cum omnes ab vno fonte profluamus, ab omnium parente ſcilicet Adamo, aut ſi lubet altius repetere, à ſummo rerum omnium opifice Deo. Quod probè ſciebat grauiſsimus & Philoſophicus ille autor Seuerinus Boetius.

Omne hominum genus in terris
Simili ſurgit ab ortu,
Vnus enim rerum pater eſt,
Vnus cuncta miniſtrat.
Mortales igitur cunctos,
Edit nobile germen.
Quid genus & proauos ſtrepitis?
Si primordia noſtra
Authorémque Deum ſpectes,
Nullus degener extat,
Ni uitiis peiora fouens,
Proprium deſerat ortum.

Et hæc quoque fuit Homeri ſententia, qui dicit omnes à Ioue eſſe hoſpitéſque mendicóſque,

ἄπο διὸς εἰσιν ἅπαντες
ξεινοίτε πτώχοίτε

Meminit Cælius quoque Rhod.lib.20.cap.27. ſequentis hiſtoriæ: non tamen iiſdem verbis. Herodes ſophiſta Alcimedonti libertino ſuo mandauit, atque adeò edixit, vt Regillam vxorem ſuam ob mediocre quoddam facinus necaret. Itaque hominis imprudentia congeſtis in

vterum plagis, mulier non ferens impetum, partu præpostero & immaturo animam efflauit. Nam fœtum gestabat mense à conceptione octauo. Cædis reus agitur Herodes, & Bradeas Regillæ frater, eidem diem dicit coram senatu Romano. Vt autem ad iudicium ventum est, litem habẽs, de tribus capellis videbatur bellum sonare Mithridaticũ: nihil de causa dicebat, totus in ostentatione nobilitatis generis sui versabatur. Herodes igitur hoc in eum dicterium facetè iaculatus est. In Astragalis nobilitatem gestitas. Quasi vellet, eum nihil aliud habere nobilitatis, quàm inanẽ quandam & odiosam generis sui ostentationem. Alludens, opinor, ad lunulas quas veteres nobiles gestitabant in calceis. Lycurgum solitum dixisse fertur Spartanis hominibus. Quid prodest ô Lacedæmonij ortus vestri rationem & initium sumere ab Herculis nobili semine, nî de iis cogitaueritis, quibus ille summus hominum euasit? Huc referendum est Iuuenalis illud,

Malo pater tibi sit Tersites dummodo tu sis
Aeacidæ similis Vulcaniáque arma capessas,
Quàm te Tersitæ similem producat Achilles.

Quibus ad extremum perductis Epigrammatis superioris veritas per sese manifesta est.

Ad quendam Aleatorem.

CVm tibi subsiliat damnosa canicula sæpè,
Cur inter ludos tessera sola placet?

Ne ludas, quamuis bene cesserit alea, nnmmos
Noli pro modico perdere mille lucro.

Aleam esse reprehendendam multis quidem rationibus corroborare possemus: sed duas tantum omissis reliquis, adscribam in præsentia. Altera est quod iaciendo tesseras nec vis mentis exercetur, nec opus est corporis viribus, nec vlla denique industria. Eam ob rem legibus vetita est alea: quemadmodum contra mirificè colebantur qui victores euadebant in iis ludendi generibus in quibus esset opus consilio, arte, & virtute. Vnde refert Athenæus Alexandro cuidam Spheristæ, sic, opinor, ob ludendi modum artificé apellato, erectam fuisse statuam sumptibus publicis, quòd melius Spheram (quam latini pilam dicunt) moueret, quàm quiuis alius. Quid illius mortem cõmemorem lætitiæ pœnitus immersam, cui cum tres contigissent liberi, vno eodémque die victores olympicorum certaminum iudicati, ita exultauit lætitia, vt spiritus cachinnãti defecerit? Quosdam recenset Crinitus in tesseris instructiores habitos præ cæteris. At certè nescio qua ratione cubos ita quisquam hominum in manu moderari valeat, vt prosiliant semper ad libitum: neque video quomodo arte & industria posit regi res hæc quæ sit valde obnoxia varietati fortunę. Deinde malum esse ludum illum coniicio quod ab hominibus omni delitiarum & vitiorum genere affluentibus & redundantibus sit inuentus. Cùm superioribus congruunt quæ refert Publius.

Aleator

Aleator quanto in arte ſua eſt melior tanto eſt nequior.Et aleę quiſquis author fuit, is nõ rem voluptuariam,ſed pernicioſam commentus eſt: ideóque vetita eſt legibus alea.Plato cum diſci pulorum ſuorum aliquem aleæ nauantem operam comperiſſet, eum carpſit quàm accerbiſsimè,cui cum ſubieciſſet adoleſcens, Quid me carpis ob tam exiguum facinus? Exiguúmne quidpiam tibi conſuetudo videtur? Plato dixit. De conſuetudine vero ſuo loco.Aleam eſſe Lydorum inuentum manifeſtum eſt ex Athenæo, Plutarcho,& quoad recentiores ex Cælio Rod. cap.14.lib.20.lectionum antiquarum.Vbi mollities Lydorum eſt in aperto, & vt ita dicam,in aprico. Sed quid ego hunc profero? Sufficies ipſe mihi (chariſſ.pater) ea parte Variarum lectionum qua γυναικῶν Lydorum ἀγῶνα recenſes Omphaléſque laudas virilem animum tãtę turpitudinis vltricem.Lydorum quidem inuentum ait eſſe Rod. quo tamen pacto inuenerint, ille tacet.Hoc me docuit Plutarchus ἐν τοῖς ὑγιεινοῖς παραγγέλμασι, quo loco narrat Lydos in maxima frugum & denique ciborum omniũ inopia, incubuiſſe talis,alternis diebus, vt huic ſtudio dediti,non cogitantes de cibo,facilius hanc inediam perferrent. Eius hæc ſunt verba, Τοὺς μὲν οὖν λυδοὺς ἐν τῷ λιμῷ λέγουσι διαγαγεῖν ἡμέραν παρ' ἡμέραν τρεφομένους, εἶτα παίζοντας καὶ κυβεύοντας. Hactenus hæc de alea.

De

De vitanda ira.

IRa parit rixas, rixas ſua damna ſequuntur,
Nam mala rixa fouet funera, bella, truces.
Iurgia fac uites quantum poteriſque, uoletque
Fortuna, ut uites funera, bel a, truces.

Cum habeant relationem inter ſe cauſa & effectus, poſtquam de alea ſermonem inſtituimus ab hoc loco nó eſt alienum de ira verba facere.

Ludus enim genuit trepidum certamen & iram,
Ira truces inimicitias & funebre bellum.

Ira igitur eſt ſanguinis ebullitio circa cor, vbi propria ſua ſedes eſt: quéadmodum τ̃ λογιστικῆς in cerebro & ἐπιθυμητικῆς in hepate: qui ſanguis cum ſit in triplici ratione, fit quoque vt triplici modo ſimus ad iram procliues. Quibus enim ſanguis ineſt ſubtilior mediocritatis terminos excedunt atque tranſiliunt: quibus autem craſſior, tardius aut nunquam excandeſcunt: quibus ineſt medius, animum poſſunt regere & iraſci quando fas eſt, in medio tamen conſiſtentes: nec enim dum iraſcuntur mentem propterea compeſcere deſiſtunt, quod non eſt perexiguum: namque oportet iraſci quibuſdam in rebus, vt ait Ariſt. Ethic. lib. 3, cap. 4. Vnde etiam eſt illud peruulgatū, Iraſcimini & nolite peccare. Ideóque hominē eum non dixerim qui nunquam accendatur ad iram: quanquam eos reprehendit Sophiſtas Cicero 4. Tuſcul. qui ebrietatem & iram animi vocant ardores, & virtutum cotes, id enim diuerſa ratione profert, quia nec

ſemper

ſemper iraſcendum eſt,nec vehementius,neque ira virtuti poteſt quidquam vnquã addere.Dicat quantumuis Ouidius,

Quaslibet infirmas adiuuat ira manus.

Non virtutem tamen. Verùm interdum iraſci permittitur & debemus. Idque ſic ſequenti ratiocinatione cõprobamus. Omnibus omnium Philoſophorum familiis receptum eſt Deum & naturam nihil in vanum feciſſe. Et contradicere,eſſet certè erroneum & impium.At ſe res aliter haberet ſi non liceret iraſci, manerétque functionis expers ea pars animæ quæ θυμοειδὴς dicitur.Verùm in ea modum excedere nemo debet,veluti nec in cæteris.id enim febrem inducit corpori non modò,ſed etiam & animo,vt enim Tuſculana quarta, quomodo eſt in corpore morbus, ægrotatio, ſic vitium in animo. Iram autem febrem corporibus inducere notum eſt: & ratio eſt facilis, febris videlicet ex nimio calore procedit & eodem cõnutritur: Itaque cum calor iræ ſit alumnus, fit vt eo per venas diſtento, atque adeo per totum corpus, febris oriatur. Vnde & febris à feruendo latinis dicta eſt, & πυρέτης Græcis ἀπὸ τοῦ πυρὸς. Porrò quod animum labefactet, patebit ex Ouidio qui tertio de Arte amandi, poſtquàm eximiam hanc tradidit ſententiam,

Candida pax homines,trux decet ira feras.

Sic ira percitum deſcribit,

Ora tument ira,nigreſcunt ſanguine uenæ,
Lumine gorgoneo ſeuius angue micant.

Tum Cicero 1. de offic. Licet ora ipſa cernere iratorum, quorum vultus, voces ſtatúſque mutantur. Atqui vt eſt apud perfectiſsimum illum ſtoicum Senecam, qualem putas animum, cuius extra, imago tam fæda eſt? Imo & hoc dicam iratos plurimum viſus deperdere accedentibus opacis propter bilem vaporibus, vt vtrinque cæci remaneāt oculis corporis orbati quibus intellectus fertur ad exteriora, ſimul & animi luminibus deſtituti conſilio, prudentia, & earum moderatrice optima ratione, quibus omnia percipiũtur: ſint licet longè diſsita, externa, interna, infima, ſuprema, media, minima, maxima, mediocria. Nihil æquè prodeſſet iratis quàm iræ incommoda ſimul & deformitatem intueri: nā facies turbatior pulcherrima fædat: toruos vultus ex tranquillitate reddit: denique linquit decor omnis iratos. Quòd ſi quis ſibi velit iræ ſimilitudinē effingere, cum igneo flatu Cerberum intueatur, Megeram, Thyſiphonémque, & Alecto contempletur ſerpentibus capillatas, irámque ſibi perſuadeat eſſe talem, & quemadmodum ſe ipſum ab illis abhorrere cernit: ſic hæc illi ſit odio terrori que tanquam malorum multorum cauſa, qualem Horatius hanc demōſtrare videtur inductione ab eius effectis petita, dicens:

Iræ Tyeſtem exitio graui
Strauere, & altis urbibus ultimæ
Stetere cauſæ cur perirent
Funditus, imprimerétque muris,

Hoſtile

Hoſtile aratrum, exercitus inſolens.
tum ſubiicit valde bonum conſilium,

— Compeſce mentem.

Quod idem recantat in Epiſtolis.

— Animum rege, qui niſi paret
Imperat, hunc frenis, hunc tu compeſce catena.

Singulare item erit remedium lenititudo, ſi verum illud eſt quod aiunt, contraria nempè curari contrariis. cenſebat enim Bias, iram & feſtinationem opponi è regione conſilio, & perinde moræ. Si enim vt placet Euclidi, quæ in aliquo tertio conueniunt, inter ſe quoque congruunt: non erit difficilius ea quæ eidem tertio repugnant, inter ſe aliquo modo conuenire, quòd ſi conueniunt diſcrepant à ſuis inuicem contrariis. Reperi hunc verſum in ſententiis Græcorum Poëtarum,

Ἀνὴρ ἄβουλος εἰς κενὸν μοχθεῖ τρέχων.

In quo ſi examinetur lex contrariorum, planum eſt iram ſi conſilio repugnet, moræ quoque repugnare. ſi enim imprudens & incōſultus celeriter omnia percurrit leui, quod aiunt, pede: prudens & conſultus ſerus erit, maturúſue cunctator, & lentus tardúſque diſpoſitor: cui cum repugnet iratus, reliquum eſt, vt agat temerè, & ſubinde celerius. Sed quorſum iſthæc? Poſſet id quod nunc facio à latinis nugatio nuncupari. Singulare igitur habeatur remedium lenititudo quo ad iram. Audiamus ergo Ouidium, ita dicentem.

Sed nunquam dederis ſpatioſum tempus in iram,

Sæpe simultates ira morata facit.
Par etiam erit Phocilidi præbere se æquanimes, Μὴ προπετὴς ἐς χεῖρα χαλινῶ δ'ἄγριον ὀργήν versus qui sequitur, accõmodatius adferetur nõ multò post. Quo ad iram sunt versus apud Mænandrũ quos proferrem, si quæ adhuc à nobis dicta sunt alibi ad summam vellem congerere.

Ἄνθρωπος ὢν γίνωσκε τῆς ὀργῆς κρατεῖν.

Consilium illud Horatianum est superius iam allatum, sic proximè,

Γίγνου δ' ἐς ὀργὴν μὴ ταχὺς ἀλλὰ βραδύς.

Et vnum est quod modo dicimus.

Βλάπτει τὸν ἄνδρα θυμὸς εἰς ὀργὴν πεσών.

Nec in parte modo lædit, sed hominem ipsum totum. Etenim de toto naturali materiam & formam si demas, nihil restat. Ratum autem ex superioribus est, iram corpus non modo lædere quod hominis materiam refert: sed animam quoque, quæ sola totum hominem informat. Tum sequitur:

Ζήσεις βίον κράτιστον, ἂν θυμοῦ κρατῇς.

Nam bene hercle viuit qui sapientèr viuit: at iuxta sapientem illum Imperatoris Traiani monitorem, & moderatorẽ optimum Plutarchum, sapiẽtis est non irasci, τὸ γὰρ μὴν ἀόργητον ἀνδρός ἐστι σοφοῦ. Id verò sic Tuscu. tertia Cicero concludit & iudicat. Qui irascitur etiam concupiscit. Proprium est enim irati cupere à quo læsus videatur ei quàm maximum dolorem inurere: qui autẽ id concupierit, eum necesse est si id consequutus sit, magnopere lætari, ex quo fit vt alie-

no malò gaudeat. Quòd quoniã non cadit in ſapientẽ, ne vt iraſcatur quidem cadit. Ergò cum

Θυμοῦ κρατῆσαι κἀπιθυμίας καλὸν
Νίκησον ὀργὴν τῷ λογίζεσθαι καλῶς.

Etenim oportet appetitui rationem imperare, appetitum vero rationi morem gerere, non ſecus. Quòd contra tamen contingit pleriſque, vt mythologicè ſignificarunt Poetæ per Martem cum Minerua decertantem, & ſe ſe in eminentiorem locum ſemper efferentem. Ego ipſe voluntatis prauæ cum recta ratione litem & controuerſiam ſic deſcripſi in dialogo quodam quẽ aliàs elucubraui, in quo agitur earum cauſa coram intellectu: qui paul ſuperius iudex erat conſtitutus,

Tum ſtetit in cœtu ratio, dehinc talia fatur,
Hæc animus meminiſſe horret, mihi ſceptra dedere,
In manibus ſuperi. quondam diademata noſtrum
Tot cinxere caput regnis ſpoliata peramplis,
Nunc reliquis ſubſum, rerum quæ iure potiri
Debeo, iam repeto ſceptri mea dextera pondus.
Suſtineat magni, uirtuti praua uoluntas
Pareat, & cupio uitiis obſiſtere fœdis.
Quam uix ira loqui patitur furioſa uoluntas,
Surgit & has prauo promit de pectore uoces,
Imperiũ debent mihi iura; dabunt, aut cuſpide regnũ
Subuertam, proprio certans, uitiisque ſecundus
Debetur locus, ac eſt abiectiſsima uirtus
Hoc remouenda loco. quid enim uirtutis egemus?
Talibus auditis, ſolio mens orſa ſupremo,
Ore fauete omnes, animisque fauete, feramus,

Quid uideatur, ait. Ratio tibi, praua uoluntas,
Imperet, innocua, uitiis, uirtute fugatis.

Subinde Menander,

Ὀργὴ δὲ πολλὰ δρᾷν ἀναγκάζει κακά.

Cui persimile illud Phocilidis à nobis huc vsque reseruatum, quod habeatur rationis loco,

Πόλλακι γὰρ πλήξας ἄκων φόνον ἐξετελέσσας.

Adstipulabitur Alexander qui totius penè orientis domitor, sui victor euadere non potuit, cum tamen,

Fortior is qui se quàm qui fortißima uincit
Mœnia: nam uirtus altius ire nequit.

Quippe ex ista laude nihil centurio, nihil præfectus, nihil turma decerpit: quinetiam illa ipsa rerum humanarum domina fortuna in istius se societatem gloriæ non offert, illi cedit, eius esse totam ac propriam fatetur. Sed hęc satis. Alexander inquam nobis adstipulabitur, qui Clytum nutricis suæ filium, immemor accepti beneficij ad Grannicum fluuium, interemit. At isti facto imminebat pœnitētia, namque telum ereptum è sinu demortui, in seipsum lubens trāsfixisset Alexander, nisi fuissent impedimēto qui aderāt. Sic Cicero 4. Tusc. *Alexandrum regem uidemus qui cum interemisset Clytum, uix à se manus abstinuit: tanta uis fuit pœnitendi.*

Οὐδεὶς μετ' ὀργῆς ἀσφαλῶς βουλεύεται,

cum opponatur ira consilio, vt antè dictum est. Sed cum in omnibus rebus arcenda est atque cohibenda ira, tum in puniendo maximè. Nunquam enim iratus qui accesserit ad pœnam, vt

est

est in de officiis, mediocritatem tenebit, quæ est inter nimium & parum. Laudatur Architas, ait Tullius, qui cũ villico factus esset iratior: quo te modo, inquit, accepissem, nisi iratus essem? Plut. περὶ παίδων ἀγωγῆς. causam reddit, quam præteriit Cicero, cur Architas ira correptus fuerit, quia nẽpè ex bello reuersus, Imperator constitutus, terram suam comperisset inexcultam. Platonis factum coniungit. Iratus itaque Plato scelesto cuidam & flagitioso seruo, Speusippum sororis suæ filium aduocans, edixit vt abiens eum acerba donaret fuste. ἐγὼ γὰρ, inquit, πάνυ θυμοῦμαι. Omnino enim irascor. Xenocrati non Speusippo ait mandatũ fuisse Laërtius. Cotys Thracum Rex ad iram propensior paulò figulina pretiosa quædam, opera fortasse Corinthia, fractu tamẽ facillima, sibi ab hospite oblata non recusauit, nec quoque grati animi virtute carere voluit: imò mutuis gratiam retulit beneficiis. At vix accepta vasa illa pedibus cõtriuit, facti causam subiiciens, ne scilicet seruorum aliquis ob ea per incuriam quassa plectéretur. Hunc certe dum laudo, Augustum minimè laudare nequeo: necnon Vedium Pollionem accusare. Sed si quis est herus qui præclarè suas agat partes, serui quoque recordẽtur suam benè sustinere personam, vt si aliquando in aliquam culpam impegerint per imprudentiam, vt ferè fit, heri sui si non adhuc moderati planè faciem subterfugiant, quod tandem vltimo loco monere videtur Menander,

Φεύγειν ἀεὶ δεῖ δεσπότας θυμουμένους.

Vt enim cecinit Ouidius,

Dum furor in cursu est, currenti cede furori,
Difficiles aditus impetus omnis habet.

Quæ omnia si cuiquam difficilia videbuntur atque δυσμίμητα vt ait Plutarchus, conādum est saltem vt quantum fieri poterit, se istius modi præceptionibus submittens irę aliquantum detrahat insanienti. Examinemus igitur vtrum rectè μαινομένην ὀργὴν dixerit Plutarch. Tam rectè, opinor, vt melius nemo possit. Seuerus, in primis, rigidúsque virtutis defensor senex ille Cato ab insano distare nihil iratum facit, Horatius iratos in summo insaniæ gradu cōstituit.

Non Dyndimine, non adytis quatit
Mentem sacerdotum incola Pythius,
Non liber æquè, non acuta
Sic geminant Corybantes æra,
Tristes ut iræ, quas neque Noricus
Deterret ensis, nec mare naufragum,
Nec sæuus ignis, nec tremendo
Iuppiter ipse ruens tumultu.

Quorum versuum sensus est, opinor, non tam insanire Coribantes, quàm iras. Coribantes enim insaniebant, vnde & nomen suum sortitè sunt, ἀπὸ τοῦ κορυπτεῖν quod est caput huc illuc vacillans mouere insanientis instar, sed apertius postea, idem Poëta

Fertur Prometheus addere principi,
Limo coactus particulam undique,
Desectam & insani leonis
Vim, stomacho apposuisse nostro.

Phoci

Phocilides quoque

Θυμὸς ὑπερχόμενος μανίην ὀλόφρονα τεύχει.

Et qua ratione nihil aggredi dubitant insani insania sua, sic

Quælibet iratis ipse dat arma dolor.

Quis hominum insanire velit? Quis non ardet corporis sani cupiditate? At præstabilior multò est mens sana in corpore sano.

Ὦ γενὸς ἀνθρώπων ἀνεμόλιον, αὐτοχολότον.

Eos qui sunt natura prærapidi & efferuentiores, subtiliores cum sint fœliciori quoque esse memoria refert ex Platone Crinitus lib.1. de honesta disciplina capite 6. sed quomodo id fieri possit non satis intelligo. Legi enim alicubi, locus non occurrit in præsentia, eos esse tardiore memoria qui sunt acutiores, quod si non tardiore, labili saltem & caduca, cuius rei probatio cuiuis est facilis. Cæterùm quando incidimus in istum authorem, habeo nonnulla de eo dicere, abs re fortassis: sed id qualecumque sit per transennam dictum putetur nostratũ omniũ nomine. Is igitur neutiquã bonus fidúsque censendus est Historiographus, quod constabit ab eorum partiũ remotione quę verum historiographum cõstituunt. Obuius est mihi locus quidam ex Iosepho vbi purũ syncerũq; historiographum esse dicit, refertque à Cyro, (si me meæ non fallunt memoriolæ) eum qui sit sine rege, sine patria, sine ciuitate. At iste non est, quippe qui suis non dubitat Italis fauere, Gallis detrahere, & tẽporum lucem historiã defraudare. Videat quã recte sub finẽ citati capitis Gallos stu-

pidos appellet, in poematibus paſsimque in ſuis operibus barbaros. Quòd certè fateor ex animo dictum. Hunc deinceps ſileamus & cum Heſiodo finiamus,

Μηδέ κακόχαρθος ἀπ' ἔργε θύμον ἐρύκοι

In Sannam aliquem.

Obuius ut fio tua me dicteria pungunt,
Et lepidas in me fundis ab ore ſales.
Qua ratione queam uaſtum tibi claudere guttur?
Noui: non referam mutua uerba datis.

Democritum imitantur hoc tempore multi attollentes cachinnum, & multi naſum rinocerotis habent infinitæ propemodum & à fronte, & à tergo inſtant ciconiæ: ſed neminem video qui non rideat immoderatius ac intempeſtiuè. Quod malum grauitate ponderis excedere iudicat Menander dicens,

Γέλως ἄχαιρος ἐν βροτοῖς δεινὸν κακόν.

Nec vident iſtiuſmodi ſannę, dum ſolent homines ſcommatibus excipere, prudentioribus riſum mouere, ſe quippe qui res ſapientibus alioqui percelebres ludibrio habent. Quamobrem ſapientis erit ob id non excitare bilem, nec iraſci vllo modo, ſapientiſsimi illius Philoſophi Socratis exemplo, quem dicere ſolitum accepimus, nihili ducere, rideretur necne, modo ne ridendi iuſtam anſam prębere hominibus. Quòd certe conſonat iis quæ dicit idem Socrates in Apologia Platonis pro eo, *Τὸ μὲν γὰρ καταγελασθῆναι ἴσως οὐδὲν πρᾶγμα.* Dicere autem eſt per-
corum

exiguum,ſed vt eſt lib.primo,Anthologię Grę-
corum Epigrammatum, vbi ratio adfuerit, & actio dictis reſponderit verbum illud quiſque putabit opus. Itaque non tãtum hæc dicit Socrat.ſed factis illuſtrat ſuis. Anitus auribus Ariſtophanis inſuſurrabat,vt eum in Socratem cõcitaret: cõcitatus Ariſtophanes comicus, omnẽ iniuriã euomuit in Socratem,in theatro, in frequentiſsimo conſpectu. Hæc aliquis adſtantium iniquo ferens animo, & penè diſcrutiatus, inſtar equi generoſi, qui glomerat greſſus, & ſtare loco neſcit,& micat artus,dixit, nunquid hęc tibi ſunt animo? ô Socrates. Minimè verò, reſpondit: ὡς γὰρ ἐν συμποσίῳ μεγάλῳ τῷ θεάτρῳ σκώπτομαι. Velut in magno aliquo conuiuio, vbi liberè omnia pandere licet, ſic eluſus,in ſcena fio fabula. Sed quomodo ille verbis laceſsitus vltionem cupiiſſet, cum ne quidem re ipſa offenſus iratus eſt vnquam? Nota eſt ex Laertio atque etiam ex Plutarcho adoleſcentis illius hiſtoria,qui cum Socratem calcibus percutiiſſet, amiciſque ad vltionem capiendam præparatis propoſuiſſet, Socrates Aſinúſne recalcitrandus eſſet,ſi læſiſſet eũ,calcitronis cognomine poſtea vocatus iuuenis, laqueo vitam finiuit. Eò verò vt ſubingrediatur oratio noſtra, vnde egreſſa eſt. Vnum aut alterum exemplum ſubiiciemus iſtorum linguæ ſuæ iaculatorum,& pœnas quas aliquando dederunt. Primas aget Sotades obſcœnus quondam Poëta, qui cum Ptolomeo, cognomento Philadelpho, Arſinoem ſororem ſuam ducenti in vxorem, dixiſſet, Spiculum in

rimulam trudis illicitā (neſcio an ſatis honeſtè latinè poſsit exprimi) in carcere cōtabuit, debitas garrulitati ſuæ pœnas dedit, ac quemadmodum Plutarchus ait, vt aliis riſum moueret luctu ipſe demerſus eſt. Alexandro quoque Macedone imperante, vt Græcorū hominū ſinguli veſtes purpureas ſibi compararent, ad ἐπινίκια celebranda, & victimas immolandas pro debellatis barbaris, cum gentes ad id negotij pecunias capitatim conferrent, ac contribuerent. Prius quidem in ſententia tergiuerſabar, & anceps eram dubitans, inquit Theocritus, nunc autem certo ſcio, hanc Homeri purpureā eſſe mortem. Ideóque in eum eſt ſtomachatus Alexāder. Ille ipſe Sophiſta Antigonum regem cum ei conuitiaretur cæcitatem obiiciens, ad iram non mediocrem compulit. Eutropionem Archicoqum olim, vel vt latinè loquamur, coquorum præfectum, tunc in quodam ordine militari conſtitutum accedere ad ſe volebat, & rationē reddere ſimul & accipere. Illo verò renunciante Eutropioni, cum hic plerunque iam acceſsiſſet, dixit, hoc nunc planè ſentio, quod me crudum vis huic cyclopi apponere, vnà exprobrans cæcitatem Antigono, & conditionem Eutropioni, qui coquus cum fuiſſet, tamen militarem aliquam dignitatem occupabat. Sed mors tātę fuit vltrix inſaniæ. Et hæc de iocis intempeſtiuis. Huc porrò congeram quæ quanquàm inſtitueram dicere, prætermiſi. Quod ad purpureā illam mortem de qua ſuperius. Homerus initio

Iliados

Iliados ε. vocat. πορφύρεον θανάτον alludens, opinor, ad eorum opinionem, qui dicebant animã esse ſanguinem, quem imitatur Virgilius lib. 9. Æneidos,

Purpuream uomit ille animam. Et decimo,
Vndantique animam effundit in arma cruore.

In garrulum quendam.

Λάλειν ἄριστον, λέγειν ἀδυνατώτατον.

Obtundunt noſtrum tot inania uerba cerebrum,
Lædunt auditum timpana pulſa bonum.
In caſſum tot uerba ſeris, fugiúntque per auras,
Vel tace: uel ſaltem dic bona uerba mihi.

Epigrammate penultimo patuit, ſannas & maledicos plus lucri facere tacendo, quàm maledicendo. Iuxta illud Pindari, quod habetur Olympica prima ad Hieronem.

— ἀκέρδεια λέλογχε
θαμινὰ κακαγόρως.

Hoc autem loco eos attingere decreuimus, qui perpetuo de qualibet re dicere contendunt, ſint quamuis ad hoc munus ſubeundum ineptiſsimi, eóſque qui rerum nouiſsimarum ſunt curioſiſsimi eaſque omnium primi recenſere delectantur, & continuo clamitant, vt diſerti appareant, & quàm eruditiſsimi: ſed inſcitiæ imperitiæque maximum eſt argumentum, contrarium efficere ab eo quod quis ſibi propoſuerit. Quod cum faciant hirundines iſtę nemini obſcura eſſe poteſt illorum imprudentia. Nam fere fit, vt

isti clamitatores, vt nihil pręter fortia latera fauces immensas, vocem viuacem faciléque penetrantem aures, imò caput sapientiorum obtundentem habeant, & quemadmodum caupones certò tenent dolium esse vacuum, qui pulsatus sonum ediderit altioré, sic qui insolentius paulò clamitarit, indicio est imperitiæ suæ. Nam talis quisque habendus est qualia dixerit, & ideo Socrates in Floridis Apuleij, cum adolescétem diutile tacentem vidisset: Dic aliquid, inquit, sic enim hominem voce, vt figlinum sono pernoscimus. Taceat itaque qui loqui nescierit, ni suam velit imprudentiam patefacere. Namque vt est in Florilegio Epigrammatũ Græcorum,

Πᾶς τὶς ἀπαίδευτος φρονιμώτατος ἐςὶ σιωπῶν
Τὸν λόγον ἐγκρύπτων ὡς πάνθος, αἰσχρότατον.

Quos ego versus sic latiis expressi numeris,

Qui tacet insipiens, uerè sapit, utpote turpes
Non pandit morbos, dum tacet, ipse suos.

Itaque facilè Menelaum fatebor sequendum, & παῦρα μὲν esse dicenda, ἀλλὰ μάλα λιγέως. Qua enim ratione tympana bonum alloquin auditũ conturbant, sic isti clamitatores sapientioribus tædium pariunt, qui rem pluris faciunt quàm verba. Verùm aliquis hæc audiens posset fortasse iudicare me nunquam, aut non diu, idque, perfunctoriè in Aristotelis Licæo ambulauisse, diceretque me Peripateticorũ principem non didicisse: ex quo manifestum est agens præclarum, patiens lædere, & quemadmodum noctua solis lumen intueri nullo modo potest, per vi-

ſus imbecillitatem, nec noſtri poſſunt oculi rectà ſolis radios illæſi perluſtrare: ſic imbecillitatem auditorum efficere, vt lædantur ipſimet voce oratoris præſtantiſsimi, non autem culpam vocis accuſandam eſſe, quia excellens ſenſile ſenſum lædit. Quãquam autem cum Ariſtotele parum admodum ſpatiati ſumus, ſatis tamen vt difficultatem hanc diluere valeamus. Excellens quidem vox eſſe poteſt clamitatorum iſtorum, vt ruſtici cuiuſuis, quatenus talis eſt, & ad auditum refertur, eúmque afficit: prout verò animi ſenſa explicat, & intellectui ſubiicitur, vt plurimum inanis eſt, & omni vacua pulchritudine, quæ latet ſub verbis, quæ ſunt ad hãc, hoc eſt doctrinam manifeſtandam, & quemadmodum hedera ſuſpenſa (quæ vini indifferenter boni malique eſt indicium) hic apponetur fortaſsis, vbi vinum erit ſuauius & mollius, quæ virorem ſuum & pulchritudinem amiſerit, illic verò vbi fortaſſe vinum eſt alga vilius, virẽtem hederam fas eſt ſuſpicere, quemadmodũ quoque diuerſoriorum antiquiorum & meliorum inſignia propè deleta ſunt aliquando nulla, nouiſsimorũ autem variis coloribus ornata, quãuis fama cedant: ſic ij aliquando (vt ſæpius ſolet accidere) qui clara voce pollẽt, nec verborũ leporibus atque veneribus carent, qui tamen ſint indoctiores: aliciúntque homines verborũ venuſtatibus, cum nihil habeant aliud, qui certè mihi videntur ſimioli & imitatores cauponorum Italorum, qui occurrunt hoſpitibus

procul

procul ſito ab vrbe lapide, eóſque deducunt ante fores bene pictas, vltro qui progrediuntur, nihil culina (quod aiunt) frigidius, nihil macrius comperiunt, cum eam domus partem curare & calefacere ſatius eſſet. Si loquaciores eſſent, prudentiores hirundines eſſent multò prudentiores hominibus, vt ait Nicoſtratus,

Ε'ὶ τὸ συνεχῶς καὶ πολλὰ καὶ ταχέως λαλεῖν
Ἦν τοῦ φρονεῖν παράσημον αἱ χελιδόνες.
Ε'λέγχονται ἡμῶν σωφρονέστεραι πολύ.

Hirundo enim eſt maximè garrula quicquid dicat Eraſmus in Prouerbio, hirundinem ne habeas ſub eodem tecto, quod de ſilentio dici vetat, vocat ſiquidem eã Anacreon λάλιν χελιδόνα, quod quidem epitheton abhorret ab homine ſapiente, qui eos odio Vatiniano, vt ait Catullus, proſequitur, & vt Horatius ſanguine viperino cautius vitat, ac vt in Prouerbio eſt, cane peiores & angue iudicat, qui tot inania verba fruſtra effutire conſueuerunt. Noctuam itaque Pallas noctis & perinde ſilentij auem inter omnes ſelegit, arcuítque cornicem procul ab eius arce: ideo conqueritur ſic Coronis 2. Metamorpho.

—— mihi gratia talis
Redditur, ut dicar tutela pulſa Mineruæ,
Et ponar poſt noctis auem. Mea pœna uolucres,
Admonuiſſe debet, ne uoce pericula quærant.

Gratiam requirere non debebat quæ gratiam nullã pręſtiterat: nam quemadmodum, vt eſt in veteri parœmia χάρις χάριν τίκτει, quod indicarunt poetæ gratias ſe inuicẽ intuẽtes dum fixerunt:

runt:ſic malum à malo paritur: malũ aliud aduocat:pœna delictũ ſubſequitur, ideóque non eſt de quo queratur Coronis, ſi loquacitatis & ἀθυροστομίας pœnas dedit,nõ enim ſola dedit,aliisque prætermiſsis vnicum Tantali exemplũ proferam ex Euripide, qui ſupplicium inditum Tantalo à ſuperis,garrulitatis cauſa exponit in Oreſte ſtatim initio ſub Electræ perſona, quæ ſic loquitur,

Διὸς πεφυκώς, ὥς λέγουσι Τάνταλος
Χορυφῆς ὑπερτέλλοντα δειμαίνων πέτρον,
Ἀεριποτᾶται καὶ τίνει ταύτην δίκην,
Ὥς μὲν λέγουσιν ὅτι θεοῖς ἄνθρωπος ὢν
Ἀκόλαστον ἔσχε γλῶσσαν αἰσχίστην νόσον.

Turpis certè morbus! quando breuitati ſtudemus ea omnia in hunc locum non ſunt congerenda quæ περὶ ἀδολεσχίας dicit Plutarchus, ſed quæ in περὶ παίδων ἀγωγῆς commemorat referemus. Qui,inquit, ſilentium malum eſſe indicat, is à veritate aberrat toto cœlo: idque exornat hac pereleganti ſententia. σόφον εὔκαιρος σιγὴ καὶ παντὸς λόγου κρεῖττον. cui reſpondet Pindarus Nemea ϛ. καὶ τὸ σιγᾶν πολλάκις ἐστὶ σοφώτατον. Redeamus ad Plutarchum. Apud Eleuſinem (locum tacet ille quem tamen appoſuimus aliunde petitum,rémque breuius perſtringit) in Attica regione,duo ſacra & arcana occulta celebrabantur,quæ dicebãtur myſteria, ἀπὸ τοῦ μυεῖν τὸ στόμα, vt notum eſt,magna Cereri, parua Proſerpinæ, in quibus quæ peragebãtur magno ſilentio occultabantur,ab iiſque arcebantur homines pro-

fani: καὶ γὰρ ἂν σιώπησας οὐδεὶς μετενόησε λαλήσαντες δὲ παμπληστεῖς, quod alibi tribuit Symonidi: τὸ δὲ μὲν σιγηθὲν ἐξειπεῖν ῥᾴδιον τὸ δὲ ῥηθὲν ἀναλαβεῖν ἀδύνατον: cui perſimile eſt illud Horatij:

Neſcit uox miſſa reuerti. Alibi,

Et ſemel emiſſum uolat irreuocabile uerbum.

Euripides vocat γλῶτταν τῶν λόγων ἄγγελον, quod epitheton ne noſtræ conueniat linguæ, ſinguli cauere debemus, & ea tãtùm dicere ſtudeamus quæ incumbunt pro munere. Nam cum linguã natura dederit, profectò hinc patet orationem hominibus non interdici debere, qua ſecernuntur à belluis, ſed ea ratione qua maximè à quadrupedibus diſtinguuntur, exornari debere, modúmque adhibendum eſſe, idcirco πολλάκις ſuprà dixit Pindarus & Plutarchus ſuperius Ἄκαιρος σιγή: quod apertius indicat Euripides hoc verſu,

Σιγᾶν ὅπου δεῖ καὶ λέγειν ἵν' ἀσφαλές.

& hoc demum eſſe ſapientis viri clarum fecit Demaratus, qui loquẽtibus omnibus inter pocula, ſciſcitatus ſtultitiáne taceret ſolus, an imperitia, ſtultum ſilere nequaquam poſſe reſpondit, ſed qui tacendi normam præſcribimus, finé inſtituamus, dicendi ne garruli videamur.

Ex paruis oriri magnam ſæpè diſcordiam.

Qvi fit, ut ex paruis tot fiant iurgia rebus?
Quid leuius uerbis? hæc peperere neces.
Scilicet ex minimis conflantur maxima: neſcis

Materiam

Materiam putrem constituisse hominem?
Quemadmodum si vel minima testudinis chorda discrepet à reliquis, totus perit concentus, abitque gratia demulcens & alliciens homines, vulnerantur aures,atque sono violantur: sic vel minima accedente causa,concordia fugit à mortalibus,& nescio quò concedit,illico se in illius vicem discordia promouet,

— Et prauè sectum stomachamur ob unguem.

Mirum quod Hortensium memorant excitasse bilem in suum collegã, quia per viam incedens paulò strictiorem sinus flexuosos vestis suæ per imprudentiam ex ordine remouisset, & illius effœminatam mollitiem, hunc in ius conuocauisse,diémque dixisse. Arcades & Ætoli diutissime bellum gesserunt propter apri caput. Carthaginenses propter nauiculam bellum suscepe runt. Scoti cum Pictis ob canes quosdam , ita decertauerunt , vt postea nunquam pacis inire fœdus, nũquam dexteram dextræ iũgere, nunquam pollicem premere potuerint.Senones cũ Heluetiis propter arietum pelles dimicarunt. Rerum potiente Iustiniano,ciuitates omnes diuisæ fuerunt , & aliæ aliis infensæ ob colores quos sibi assumebant in ludis, certaminibus & symmachiis per æmulationem. Leuissima certè causa!Verba autem (quibus nihil est fluxibilius, cum simul vt nata sunt,euanescãt) vt alibi suis adornauimus exemplis , iurgiorum , querimoniarũ,& effusionis sanguinis humani causæ exciterunt. Quis in admirationem rapiatur , pro-

pterea si perpendat ex minimis maxima fieri? si enim credimus Democrito omnia quę sub mun di velamine implicantur, imò totus ipse mundus factus est ex cōcursu τῶν ἀθόμων, id demum est minimum in geometria, quod ita est exiguum, vt diuisionem sui non posit admittere in qua scientia ἄθομα sunt puncta, ex quibus lineæ constituūtur, ex harū autem fluxu manant superficies, ex istis denique corpora. Deinde ex vnitate depēdent cæteri omnes numeri, & eius beneficio numeros in infinitū protrahere per additionem licet, si verò non sumus Democritici, sed Christiani ex nihilo vniuersa facta tenebimus. Omnia porrò maxima, fiunt minima. Carthago diruta est, & adæquata solo, Thebis ne vnicam quidem portam licet intueri, Athenæ vastatæ sunt: vbi laus Romanorum est? quibus nunc iura dicunt coloniis? Lutetia, (quæ tunc ne quidem extabat) Carthagini, Lutetia Thebis, Athenis Lutetia, Romæ Lutetia præponitur. Quæ quondam barbaræ nationes putabantur, sunt excultiores, Græcia sola barbariem insectatur. Mutatio certè magna. Eò tandem migrant omnia, vnde profecta sunt, (vt proximè sequens Epigramma denotabit.) Apud Geometras ratum & sancitū est, corpora in superficies dissolui, superficies in lineas diuidi, lineas in puncta, atque in vnitatem numeri omnes quantumuis maximi, apud physiologos ad quatuor rerum principia rediguntur. Ex ligno foco appósito per extremitates exit aqua, per aliam partem

tem fumus,in aërem redigitur,aliunde accenditur flamma,quod supereſt, pertranſit in puluerem,ſiue terram.

Omnia in ſua diſſolui principia.

IN ſua ſoluuntur principia, corpora cuncta.
Et redit in cinerem quod fuit ante cinis.
Creditur ex nihilo coaleſcere quidquid in orbe eſt,
Et redit in nihilum quod fuit ante nihil.

Huius Epigrammatis argumentũm cum ſuperiori coniunximus: verùm quoniam exemplum noſtri tẽporis obmiſimus, cum Carthag. Thebas,Athenas,Troiam, Corinthum & Romã ad nihilum eſſe redactas illas quidem totas, huius verò gloriam maxima ex parte, adferemus hoc loco templum Aurelianum penitus euerſum, adferemus & nouam templi Franciſcanorũ Pariſienſium ruinam, quæ mirum in modum lugenda eſt, de hac autẽ hoc fecimus Epigrãma.

De templi Pariſinorum Franciſcanorum incendio.

QVem non afficiat tantæ uaſtatio molis?
Non credo ſiccis poſſe uideri oculis.
Matronæ lacrymas, huic dant tot inania templo
Munera! non Triuiæ tanta ruina deæ
Viſibus humanis quiſquis ſpectacula præbet
Talia, quàm uita plus iuuat ille nece.
Mille quod annorum ſeries non fecerat, ecce,
Id periit citius quàm leuis aura uolat.

Franciſcanorum detrimento, & totius ciuitatis dolore, templum exemplum præbet Horatianis verſibus,

Quidquid ſub terra eſt in apricum proferet ætas.
Effodiet, conditque nitentia.

Non vetuſtate quidem ſua periit hoc templum, idcircò poſſet quiſpiam hos verſus alienos ab hoc loco iudicare: quoniã tamen id noſtra ætate contigit: quoniam in tempore factum eſt, & cum tempore, & hoc tempore, & poſt tempora, non extra tempus, ætatem hoc feciſſe dicimus. Seculorum certè mihi videtur eſſe miſerrimum, quo tantã ruinam fieri permiſit rerum moderator optimus, & iudex ęquiſsimus. Quot opifices, quot anni, quot nummi cõſumpti ſunt, quot labores exanthlati, ad erectionem tantæ molis? Quomodò potuit eam vnius horæ ſpatium & vaſtare & perdere? vt nullus magni ſceleris labor, quod ait Iuuenalis, vt nullus eſt, qui non ſit ad maleficium aliquod, quàm ad quoddam præclarum facinus ſubeundum promptior: ſic facilius multò eſt exitium alicui operi, & moliri, & adferre, quàm exordium texere antequàm ſit factum, faciliúsque eſt deſtruere, quàm erigere: qua ratione facilius eſt diſſuere, quàm ſarcire. Quod patrum noſtrorum religio, & charitas cõſtruxerat, id caſu combuſtum, tanquàm in inſtanti cecidit. Si vnquam ignis perniciem adtulit mortalibus, adtulit hoc tempore. Cauendum certè eſt ab imméſa gula beſtiæ tam voracis: namque inter mala quibus obnoxij ſumus

mus

mus, ignem memorat Menander.

Πῦρ καὶ θάλασσα καὶ γυνὴ κακὰ τρία.

Tria huiusmodi mala persequemur. Ad mulierẽ accedamus, quandoquidem secunda nobis occurrit ab igne.

Contentio inter maritum & vxorem exorta.

Foemina cum facili nuper mihi uisa marito
Contendens, melior foemina, uirne foret.
Tertius eligitur litem qui tollat, at ille
Tyresias, dixit, foemina uirq; fuit.
Consulitote hominem: synceri iudicis instar,
Luminibus captus caecus utrinque manet.

Tria sunt in hoc potissimum epigrammate, de quibus sermo est nobis instituendus. Imprimísque de foemina, sitne viro melior: cui quaestionem hanc coniungemus, vtrum tam bona eademque sit iudicandi vis in mulieribus ac in viris. Deinde verò experientiáne sit in iudice desiderãda, perscrutabimur, alias denique duas iudicis integri proprietates notabimus, argumento sumpto est eo versu epigrammatis illius quod habemus prae manibus,

— Synceri iudicis instar
Luminibus captus caecus utrinque manet.

Quod primum igitur est, mulieres multo peiores esse viris, nemo vnquam in dubium reuocauit, nec fefellit quemquam opinio, qui sic iudicaret. Bonae quidem esse possunt mulieres,

nec illis media quibus ad beatitudinem poſsint accedere denegantur, & humanæ naturæ ſunt participes. Nam quid purius vnquam fuit deuotionis ſynceritatis & electionis illo vaſe Beata Maria virgine Chriſti matre, cuius nomine ipſo recreor? Quæ domus mundatior, ornatior, & apparatior hac fœderis arca purgatiſsima? Mulierem, licet Menander ignem & aquam mala dicat eſſe, hoc tamen inſerit, γυνὴ δικαία τοῦ βίου σωτηρία, deinde verò ignis & aqua ad humanos vſus plurimum conferunt: ait enim Prodicus apud Plutarchũ, ἄριστον ἐστὶ τὸ πῦρ, & Pindarus ἄριστον μὲν ὕδωρ, vnde maximũ credebatur olim ſuppliciũ, ſi cui igne & aqua interdiceretur, quæ cõmuniſsima ſunt inter homines. Veruntamen hoc verum eſt, plures eſſe malas mulieres, quàm bonas, vt iuxta eundem Menãdrum ſit perdifficile bonam offendere mulierem,

Γυναικὸς ἐσθλῆς ἐπιτυχεῖν οὐ ῥάδιον.

Ob ſtudium breuitatis, totos Menandri verſus quanquam ad hunc locum accommodatiſsimos, non adferam, ſed perlepidum ac facetum Epigramma non adhuc typis excuſum, ſit licet antiquiſsimum, ſcribam, quod ego cum audiuiſſem ab ignotis hominibus, dedi operam vt ediſcerem. A quibuſdam Ciceroni, à nonnullis Petronio tribuitur. Qui ſit author parum refert.

Crede ratem uentis, animum ne crede puellis,
Namque eſt fœminea tutior unda fide.
Fœmina nulla bona eſt, quòd ſi bona contigit una,
Neſcio quo fato res mala facta bona eſt.

Verùm

Verùm ne cuiuſdam mulierculæ ſubtilitas hoc ita conuertat,

Fœmina nulla mala eſt, quòd ſi mala contingit una,
Neſcio quo fato res bona facta mala eſt.

Adhibebimus aliorum teſtimonia. Itaque ſic in milite glorioſo Plautus interrogat, Quid muliere peius? ſic reſpondet in Muſtellaria: Nulla mulier bona eſt. Quid plura commemorem? quid opus eſt eglogarium vt præſtem? Hoc tantum à te rogabo (quiſquis es) quod rogat Terentius in Heautontimorumeno, cenſes ne reperiri vnam mulierem quæ careat culpa? Imprimíſque ſunt laſciuæ mulieres, & præter cæteras animantes. Ex Ariſtotele, ſola mulier & equa maris copulationem prægnantes requirunt: ſolam ſpectat voluptatem fœmina, qua maiore afficitur quàm mas; cui hæc non ſatis erunt, audiat Propertium loquentem ad mulierem de mulieribus.

Obiicitur per te ſemper mihi noſtra libido,
Crede mihi, uobis imperat illa magis.
Vos ubi contempti rupi..is fræna pudoris,
Neſcitis captæ mentis habere modum.

Cui rurſus neque Propertij iudicium, neque Tyreſiæ decretum, & lata ſuper hac re ſententia ſufficiet, hic conſiſtat ſatius eſt, quàm huius rei experientiæ cupiditate ardens, Æliogabalum imitetur. Sed reliqua mulierum vitia perſequamur. Maiores enim noſtri, ait Cicero in rhetoricis, ſi quam vnius peccati damnabant mulierem, ſimplici iudicio putabant eſſe conuinctam plu-

rium.Non igitur tantum ſunt libidinoſæ mulieres, ſed & dolo malo fraudéque refertæ, de philtris & veneficiis,quæ vulgò ſolent à mulieribus fieri, non loquar, eſſet enim initium inuenire facilius quàm exitum, Seneca Tragicus ſic habet paulò pòſt verſus citatos ſuperius ex Medea,

Inſtruit omnis fraude fœmina dolos.

Et vt legi apud aliquem,qui ſit certè meæ non retinuerunt memoriolæ,

Hoc ſemper fœmina diſcit opus.

Atque quod peſsimum eſt omnium,iis inſeruire videntur,quos irretitos habent.Fallax mulierum genus,& multum diſsimulans! Dixiſſe Pythagoram memoriȩ proditum eſt,in oculis mulierum duo lacrymarum ineſſe genera,alterum veri doloris,inſidiarum alterum: verùm vt vos tueamini,

Fallite fallentes, ex magna parte profanum
Sunt genus.

Præterea rara fides in mulieribus quas vbique concomitatur leuitas. Idcirco Catullus elegia quinta,ob varietatem mulierum,ſuæ ipſius mulieri credere non poteſt,

Nulli ſe dicit mulier mea nubere malle,
Quàm mihi,non ſi ſe Iuppiter ipſe petat.
Dicit,ſed mulier cupido quod dicit amanti
In uento, & rapida ſcribere oportet aqua.

Cui loco ſimilem habet Ouidius Elegia quadã,

Verba puellarum foliis leuiora caducis
Irritaq; ut uiſum eſt uentus & aura ferit.

Propertius

Propertius eas confert cum foliis hiberno noto agitatis, quemadmodum Ouidius alicubi ſi bene memini. Vltimum vitium quod attingemus breuitatis ſtudio eſt,quod multum ſuperbiunt: poëtas qui de hac re loquuti ſunt præteribo & reliquos,ſed id fit potiſsimũ cum dote, quæ ſi exigua eſt magnum parit dolorem, ſi eximia,ſuperbiam. Hac forte ratione ductus Rex Gallorum quidam, cuius nomẽ modo non occurrit, edicto cauit, ne modum excederent dotes mulierum,præſcripſitque certam cuique ſummam pro ſua conditione, quod etiam cautum à Venetis accepimus.De lingua mulierum non dicam, nam præter multorum teſtimonia, coniurationem Catilinariam vulgatam fuiſſe per Fuluiam, Philotæ cõiurationem in Alexandrum omnes per mulierem audiuerunt,vt etiam huius rei exempla ſacræ literæ ſuppeditant. Ex recẽtioribus, mens Prioris Capuani qui Venetiarũ captionem anhelabat, in apertum prodiit per mulierculam, ſed hęc ſatis.Secundũ aggrediamur quod ſupra propoſuimus, vtrum videlicet mulieres tam acrem habeant,eandémque ratiocinandi poteſtatem, quam viri, eãdem penitus opinor: à quo tamen diſſentit vir doctiſſimus Henricus Stephanus: ſed quia rationem non adfert (ſcio quod adferre poteſt, ſcio tantum virum nihil abſque ratione dicere) cum eo non conſentio, quia cum ratiocinatio ſit animæ rationalis actio & functio, quæ totum informat hominem, ſexúsque diuerſam ſpeciẽ non

non conſtituat:neceſſum eſt vt eadem ſit intelligendi poteſtas in fœmina ac in viro, quamuis facilè crediderim huic firmiorem ineſſe, & imbecilliorem illi, vtque fœmina fit ex defectu materiæ: ſic animo quoque deficere, quanquam eam cauſam aſsignare noluerim, defectus enim materiæ nihil obeſſe huic rei poteſt quæ nulla ratione, materiæ immerſa eſt. Prꝗterea non me fugit eos ſæpè præſtare viribus qui ſunt infirmiores, quia corporis craſsities multum deperdit ingenij (vt ita dicam) eúmque opprimit & ſuffocat, iuxta tritum illud quod eſt in philoſophorũ ſchola, pinguis venter non generat ſenſum tenuem & in humano capite, quia ibi tota ratiocinandi vis eſt poſita, minus eſſe carnium tradit Ariſtoteles quàm in capite cuiuſuis alterius animantis, habita ratione vtriuſque, & facta proportione inter vtrũque Geometrica, nõ Arithmetica: quia per hanc proportionem, Arithmeticam videlicet, carniũ minus reperiretur in capite galli quàm in hominis capite, multo autem plus cerebri dicit idem eſſe in humano capite, facta qualibet proportione hac vel illa, ac veluti ait Plutarchus in dialogo, de conſeruanda bona valetudine ἀεὶ μὲν τὰ ὑγιεινότερα, εἶναι σώματα εὐτελέστερα, velut, inquam, dicit corpora ea melius ſe habere quæ tenuiora ſunt, ſic eos qui imbecillo ſint corpore, præſtare viribus ingenij, & quemadmodum quo pauciores nobis obſiſtunt, eo facilius peruenimus quò tendimus: ſic quo minus eſt carnium eo facilius

animi

animi cogitationes atque liberius profiſciſcuntur, quemadmodum quoque qui ſunt in carcere, facilius effugiunt, quò portæ ſunt infirmiores : ſic ingenium hoc corporis ergaſtulo veluti carcere prępeditum, eò facilius muneri ſuo ſubeſt ac officio fungitur, quo debilius eſt ipſum corpus. Verùm quis cum Ouidio dicere vetuerit?

Vt corpus, teneris, ſic mens infirma puellis.

Præterea quamuis imbecillæ ſint mulieres, ob id non deſinunt habere pinguem aqualiculum & extentum ſexquipede, vt eſt apud Perſium quemadmodum Hiſpulla Romana mulier, de qua Iuuenalis, qualem noſtra ætate celebratam fuiſſe Pariſiis, accepimus, quæ craſsitudine dolio perſimilis erat. Tenuis certè muliercula! ſed tota illa mulierum moles eſt mollis. Vt igitur eo reuoluamur vnde delapſi ſumus, hanc ego noluerim huius rei cauſam dicere ne dum affirmare: ſed hoc certum habeo, mulieres prudentia, conſilio & ratione viris cedere. Euripides in Medea, mulieres dicit ad bona conſilij pauperrimas eſſe, malorum autem omnium artifices ſapientiſsimas,

Γυναῖκὲς ἐς μὲν ἔσθλα μὴ κανωτάται
Κακῶν τε πάντων τέκτονες σοφωτάται.

Quod ſic imitatus eſt Seneca item in Medea,

Sed dux malorum fœmina, & ſcelerum artifex.

Martianus Capella item vult Mineruam ſine matre eſſe progenitam, quòd ſapientiam non habeant mulieres,

Hinc

Hinc de patre ferunt ſine matris fœdere natam,
Prouida conſilia quòd neſcit curia matrum.

Mulier itaque viro cedit prudentia, & dumtaxat, vt eſt apud Ouid.

Ad delinquendum doctior eſſe poteſt.

ſic Anacreon Ode ſecunda,

Φύσις κέρατα ταύροις
Ὁπλὰς δ' ἔδωκεν ἵπποις
Ποδωκίην λαγῶοις
Λέουσι χάσμ' ὀδόντων
Τοῖς ἰχθύσι τὸ νηκτὸν
Τοῖς ὀρνέοις πετάσθαι
Τοῖς ἀνδράσι φρόνημα
Γυναιξὶν οὐκ ἔτ' εἶχεν.
Τί οὖν δίδωσι; κάλλος
Ἀντ' ἐγχέων ἁπάντων
Ἀντ' ἀσπίδων ἁπασῶν.
Νικᾷ δὲ καὶ σίδηρον
Καὶ πῦρ καλή τις οὖσα

Quid verò forma eſt, ſi cõferatur cum hominis authoritate & grauitate? Socrates dictitabat mulierem ſpecioſam eſſe templum ſuper cloacam ædificatum. Cæterum in hac contentione viri & mulieris, bene conſultum eſt illis quod tertium ſelegerint: nunquam enim aliter contentioni finem attuliſſent: quiſque enim iudicat ea quæ ſibi videt eſſe vtilia, eámque ob rem nemo iudex idoneus cenſendus eſt in propria cauſa. Ideo laudatur Lodoicus nonus Francorum Rex, qui nec in Petrum Mauclerum, ducem, opinor, Britãniæ, nec in Thomã Flandriæ

comitem

comitem ſententiam ferre voluit. Quòd neque voluit Philippus cognomento Bellus, aduerſus Robertum comitem Flandriæ, quinimo decreta Curia Pariſienſis, ſuper hac re pronunciauit nomine parium Franciæ, non Lodoici & Philippi regum, licet agerentur rei lęſæ Maieſtatis: Franciſcus primus idem voluit in cauſa Caroli Borbonij, quãuis adeſſet iudicio. Idem Poyetũ Cancellarium ſuum ad ſupremum ſenatum Pariſienſem miſit: cum autem eos omnes iudices recuſaſſet, ſtatuit rex vt ex quolibet Parlamẽto, quòd aiunt, duos ſibi ſeligeret. Thomas autem Morus vir iuſtus & doctus Angliæ Cãcellarius competitorem ſuum habuit pro iudice: Hieronymus item Moronius, Ducis Mediolanenſis Cancellarius, vnũ ex aduerſariis. Laudantur ob æquitatẽ noſtri: ob iniuſtitiã vituperantur externi. Conſtituto iudice, tres iudicis proprietates percurramus ſuperius propoſitas. Arbiter electus qui eſt in iſta cõtentione, bene mihi videtur monuiſſe Tyreſiã eſſe cõſulendum propter experientiam, & idem mihi videtur dicere ac Lucius Torquatus, qui conſul renũciatus multoties, dixit, eine vultis remp. veſtram committere qui alienis videt oculis? (quod etiam audiui & legi de Appio cæco) experientiam enim qui non habet eius rei de qua debet decernere, iudicat tanquam cæcus de coloribus, & cæcus cæcum ducit, caduntque ambo in foueã. Quod non diſſonabit ab eo quod diximus, Tyreſiam vtroque orbatũ oculo: ibi enim oculos ad corpus

pus, hic verò ad animum referamus, qui perſpicax eſſe maximè debet in iſto negotio. Bene igitur Phocilides, ne permittatis ignaros homines iudicare,

Μήδε ποτὲ κρίνειν ἀδάημονας ἄνδρας ἐάσῃς.

Nam vt ait Seneca Tragœd. 6.

Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera,
Aequum licet ſtatuerit, haud æquus eſt.

Ad reliquas duas proprietates antequam accedamus, Epigramma tanquam accommodatiſſimum interponemus.

Veri iudicis effigies per ænigma.

DEficiens natura facit portenta: ſed iſtum
Duplice deficiens perficit illa modo.
Quod manibus caret atque oculis perfectus habetur,
Ni careat, meritò, mancus habendus erit.

Iudices oculis orbati debent eſſe, aut ſaltem oculis vti non debent in iudiciis, vbi nulla debet eſſe perſonarum acceptio, vbi nullus amicus eſſe debet, vbi eſſe debent omnes incogniti, vt alicubi refert Cicero: non enim ſedet iudex vt culpam condonet, peccatum remittat & veniam impertiatur, ſed vt pro iure atque vera ratione iudicet, ait Socrates apud Platonem in Apologia pro ipſo, οὐ γὰρ ἐπὶ τούτῳ κάθηται ὁ δικαστής, ἐπὶ τῷ καταχαρίζεσθαι τὰ δίκαια, ἀλλ' ἐπὶ τῷ κρίνειν ταῦτα. Ideóque iuſtitiam crediderim oculos tectos habentem eſſe fictam. Prçterea oculorum acie huc & illuc diſsipata & in varias partes cõuerſa, ſçpè

diſtrahuntur iudicum animi, vnde Licurgus cautionem eam adhibuit, ne ſcilicet, in loco iudiciis deſtinato, imagines figerentur, ne fortè iudicum oculos occuparent, & mentes eorum furtim ſubriperent, & ita cauſas non perciperent. In Gallia vidi equidem in omnibus iudiciorum aulis imagines eſſe appoſitas, ad Chriſti ſeruatoris memoriam: ſed animaduerti quoque, eas à tergo eſſe iudicum ſuper ſubſellia. Attendere enim oportet iudicem, verane dicat patronus: nam iuxta ſententiam Socratis, apud Platonem, in eius defenſione, ἄυτη γὰρ ἀρετὴ ἐστὶ τοῦ δικάστου, ῥήθορος δὲ ἀληθῆ λέγειν, & idcirco auritus quoque eſſe debet bonus quilibet iudex, deinde manibus obtruncatus, & ſe à rapinis temperare. Vnde laudatur Cicero, quem ait Plutarchus καλῶς ſe in prætura geſsiſſe, & καθαρῶς τὰς κρίσεις exercuiſſe, quod ipſemet dicit in oratione pro lege Manilia ad Quirites, & meus labor caſtè integréque verſatus, ex veſtro iudicio eſt fructum ampliſsimũ conſequutus. Vituperatur Demoſtenes cui vis argenti, fauces occludere potuerit, quíque laborarit argẽtangine non angine. Contrà laudatur Socrates, reliquis hominibus præponitur, quia nunquam aliquid accepit, ne quidem ab iis qui vellent liberaliter erogare, vt ipſemet dicit apud Xenophontem, in apologia pro eo. Multum detraxit regiis ornamentis Carolus cognomento Bellus, qui cũ efflagitaſſet ab ipſo Ioãnes pontifex maximus, vt decumas colligi permitteret in Gallia, ab om-

nibus clericis, semper recusauit, donec Ioannes, (qui tunc bellum aduersus Lodoicum Bauierium Imperatorem administrabat) mediam decumarũ portionem promisisset, homines huiusmodi vocat Hesiodus βασιλῆας δωροφαγοὺς, qui sic alibi monet,

Μὴ κακὰ κερδαίνειν, κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτῃσι.

Ne malè lucreris mala lucra æqualia damnis.

Quod pluribus versibus prosequitur. Verùm incidimus in tempora, quibus vt est apud Iuuenalem,

— Lucri bonus est odor ex re
Qualibet,

Et iuxta Ennium,

Nemo quærit unde habeas, sed oportet habere.

Sed melius Hesiodus, lucrum puta lucrum, si sit iustum,

Κέρδος ἤγε κέρδος, ἂν δίκαιον ᾖ.

Itaque, si Plutarcho credimus, oportet manus habere continentes, imò potius nullas ad hoc opus habere, quia multi quod manus iniecissent, lucro iniusto omnẽ anteactæ vitæ gloriam tanquam effundendo amiserunt, vt Gylippus apud Spartas. Verba Plutarchi sunt in libello de puerorũ educatione, τὰς χεῖρας τινὲς ὑπόχοντες λήμμασιν ἀδίκοις τὴν δόξαν τῶν προβεβιωμένων ἐξέχεαν ὡς Γύλιππος ὁ λακεδαιμόνιος τὰ σάκκια τῶν χρημάτων παραλύσας φυγὰς ἀπηλάθη τῆς σπάρτης. Ibi rem tantùm attingit extremis vngulis, sed historiam repetamus ex vita Lysandri. Gylippus Lacedęmonius, cùm pecuniarum saccos dissol-

uisset,

uiſſet,nec vidiſſet ſummã adſcriptã in ſacculis, clanculum aliquid ſurripuit, ſaccos vbi tradidit ephoris ſumma non eſt inuenta, exclamauit ſeruus eius,quàm multæ noctuæ iacent in rete-gulis domus heri mei:alludens ad impreſſam in moneta noctuarum effigiem,ibi enim, in rete-gulis,videlicet ſuæ domus,pecunias abſconde-rat: Gylippus furti reus iudicatus in exilium miſſus eſt.

In quendam mercatorem,qui naufragium cum fecerit ſe rurſum credit Oceano.

Oceanum, quaſſa, ſubiturum, puppe negabas,
Nec metuis ſarta rurſus adire rate.
Qui ſemel euaſit metuenda pericula Ponti,
Si ſapit ille timet credere uela noto.

Poſtquàm duo malorum genera,quę Menander aſsignauit attigimus,de tertio & poſtremo, de aqua ſcilicet nobis eſt aliquid dicendum,vt ſte-mus pollicitationibus. Itaque cenſeo bonum eſſe, & vtile Socratem imitari, qui nunquam vult mari ſeſe committere, quoties quò tendit poteſt abſque nauigatione peruenire: etenim vt ait Ouidius,

Eſt tua tam propè mors quàm propè cernis aquam.

Vtque Iuuenalis Saty.4.

— Qui nauem mercibus implet
Ad ſummum latus: tabula diſtinguitur uda.

Et vbi congratulatur Catullo erepto à naufra-

gio, indicat manifeſtè,

—— dolato
Confiſos ligno, digitis à morte remotos,
Quattuor aut ſeptem, ſi ſit latiſsima tæda.

Vt & Catullus ipſe dum Pætum ad Pharios portus demerſum luget. Bias quoq; dubitabat mortui ne eſſent, an viuerent qui nauigarent, dum itaque rogaretur, pluréſne degerent in viuis, an plures eſſent mortui: rogauit item, num haberentur inter mortuos ij qui nauigarẽt. Quid Anacharſidem commemorem, qui eas demum naues dicebat eſſe firmiſsimas atque tutiſsimas quæ terræ innatarent? Cui ſententiæ neruos atque robur adferre videtur Epigrāma quoddam, quod eſt ad Anacreõtis calcem, cuiuſnam ſit, (cum id doctiſsimi quique in dubiũ reuocarint,) meum nõ eſt aſſerere. Illud autem docet, naues ex portu ſi fieri poteſt, proſpici oportere: quòd ſi oceanum aliquando ſubire contingat, emergere quàm citiſsimè.

Ἐκ γῆς χρὴ κατίδειν πλόον
Εἴ τὶς δύναιτο καὶ παλάμην ἔχει
Ἐπεὶ δ᾽ κἂν πόντῳ γένηται
Τῷ παρέοντι τρέχειν ἀνάγκη.

Qui mare vitauerit, malum non mediocre videbitur effugiſſe. Proinde Terentius,

Fortunate neſcis quid mali præterieris, qui nunquam
Ingreſſus es mare.

Tum Plautus in Rudente,

Qui homo ſeſe miſerum & mendicum dolet,
Neptuno credat ſeſe atque totam uitam.

Quorſum

Quorſum mare adeunt homines? Quorſum tot ſubeunt pericula? Quomodo non timent? firmam aquam & ſolidam Deus effeciſſet, ſi per eam incedi voluiſſet.

Necquiquam Deus abſcidit
Prudens oceano diſſociabili
Terras, ſi tamen impiæ
Non tangenda rates
Tranſiliunt uada.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per uetitum nefas.

Et paulò pòſt,

Nil mortalibus arduum eſt. Quod ſic Oppianus ad verbum in venatione habet,

Οὐδὲν μερόπεσσιν ἀμήχανον, οὐ γαῖαν μήτηρ
Οὐ κόλπον εὐρώεντα θαλάσσης.

Sed cum omnibus valdè metuendum eſt iter maritimum, tum ei potiſsimum, opinor, erat metuendum, qui primus omnium nauigauit, de quo ſic Horatius ſuperius paulò,

Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat: qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem
Primus.

Aliud verò eſt quod me non minus vehemẽter rapit in admirationem, qua ratione qui iam naufragium perpeſsi ſunt, mare iterum adire, & nauigationem ſuſcipere non dubitant,

Mercator metuens, otium & oppidi
Laudat rura ſui, mox reficit rates
Quaſſas, indocilis pauperiem pati.

Sed hoc certè reuocandum eſt ad hominis inconſtantiam, qui

Quod petiit ſpernit, repetit quod nuper omiſit.

Veram amicitiam naſci ex morum ſimilitudine bonorum.

CHarior es, mihi crede, ſinu, me charior ipſo es,
Scilicet es ſapiens & ſtudioſus, amo.
Nec tibi ſum charus, quorſum? ſapientia mentem
Non colit ulla meam, pectus inane gero.
Haud igitur (quoniam deſunt hæc uincula) ſperem,
Poſsis ut Aeacides eſſe, Patroclus ego.

In amicitiæ laudibus multus eſſe hoc tempore non decreui, res enim per ſe perſpicua eſt, adeóque prolixa, vt opus certè nō ſit vnius diei: ſed in eo totus eſſe volo, circa quod Epigrāma totum eſt: veros ſcilicet amicos eos eſſe, quos morum ſimilitudo inuicem implicuerit atque copularit, vt meritò dicatur amicitia animorū cōmunio, quæ fieri nullo modo poteſt, ſi aliud velle, aliud nolle interceſſerit, ex quorū conformatione morum ſimilitudo dependet, cum actionum omnium quæ fiunt, voluntas ſit veluti ſcaturigo, ex qua tanquam riuuli profluant. Quod hercle Ciceronem mouiſſe potuit, vt in Lælio diceret, nihil eſſe appetentius ſimilium, quàm amicitiam, quæ iucundiſsima demum eſt, ſi eam morum ſimilitudo bonorum cōiugarit, de qua ita Boetius inquit: Similitudo amorem

rem dilectionémque conciliat, eſt amica, odioſa atque contraria diſsimilitudo. Eas igitur amicitias quas vel ſpes vtilitatis aliqua fecerit, (quales ſunt amicitiæ ſenum) vel quas voluptatis gratia quiſpiã inierit, (vt iuuenes ferè ſolent) perbreue neſcio quod tẽpus diſſoluere poteſt. Ideo cum amicitiam veram nihil lædere, delere nihil vnquam poſsit, argumento eſt eam ſolam amicitiam eſſe veram, quam morum ſimilitudo contraxerit: cum quandiu remanſerit hæc, tolli nullo pacto nec labefactari poſsit illa. Vnde Prouerbiorum exiiſſe loco dicit Ariſtoteles 8. Ethic. ca. 1. pares cum paribus, & gracculus cum gracculo: quibus ſimilia ſunt apud Eraſmum, ſimile ſimili gaudet: æqualis æqualem delectat: ſimile ſemper ducit ad ſimilem: cicada cicadæ chara: formica formicæ: à quibus non valde diſcrepat illud Terentij, mulier mulieri magis congruit. Nec me valde conturbat Heraclitus, dum ait contrarium & vtile eſſe, & ex diſparibus pulcherrimum concentum oriri, ex diſcordia omnia fieri: non ſum enim neſcius, quatuor illa corpora ſimplicia, ex quibus omnia concreuerunt, contrariis eſſe qualitatibus affecta: non ignoro duo illa rerum naturalium principia, humidum & calidum ſibi inuicem opponi, & res omnes producere, dicente Ouidio Metamor. 1.

Quippe ubi temperiem ſumpſere humorq; calorq;,
Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus.

Verſus Euripidis quoſdam adfert Ariſtoteles citato cap. antequàm Heracliti proferat ſenten-

tiam adferre, ſed qui cum Heraclito conſentire videbatur Ouidius, aduerſabitur eidem,

Cumq; ſit ignis aquæ pugnax, uapor humidus omnes
Res creat: & concors diſcordia fœtibus apta eſt.

Ij ſunt verſus Ouidij, quibus effertur meritò concors diſcordia: ex contrariis ſiquidem medium, vt exortū eſt, nulla iam eſt diſcordia. Itaque magis placet Empedocles. Quanquā certè nó video quomodo me poſſem ex vinculis iis expedire in quę me poſſet aliquis iniicere. Nam video contraria ad perfectionem vniuerſi conducere, (quæ magna laus contrariorum eſt) vt ſublatis è medio contrariis, ſtare nequeat vniuerſum ipſum, cum ſpecies vniuerſum conſtituant, & ſpecies ſint omnes contrariæ, quod Ariſtotelis non modo, ſed omnium Philoſophorū doctrina conuincit: idcirco nihil eorum inficiabor, ſed contraria à contrariis appeti non concedam. Cōtrarium enim natura docet: nam ex Plinio, ſi oliuam plantaueris, vbi quercus fuerit aliàs (quæ arbores non ſibi congruunt) oliua marceſcit, ac interit. Et ex Plutarcho de odio & inuidia, cornicum & vlularum (inter quas eſt maximū diſsidium) ſanguis, licet mortuarum, permiſceri nequit: quòd ſi quis vtriuſque ſanguinem vnà cōfundat, ſeorſum diffluit. Item ex Plinio ouibus tympanum ex lupina pelle confectum terrorē incutit, ac ſi ſuſpendatur lupina pellis in ouili, oues formidoloſæ pabulum deſerunt. Quemadmodum contra res etiam inanimatæ inter quas quædam eſt affini-

tas, ſe deſiderare videntur, & ſua coniunctione delectari, veluti palea attrahitur à ſuccino, & à magnete ferrum, vt dicit Plato in Ione, nec modo ferrum, ſed ipſum ferrum, qui magnetem tetigerit, aliud ferrum attrahere, quod planè dicit Lucretius lib. 6.

Quod ſupereſt agere incipiam. quo fœdere fiat
Naturæ lapis hic ut ferrum ducere poßit.
Hunc lapidem magneta uocant, &c.

Rem longius proſequitur, ſed ne videar rem velle aperire occultam, & implicatam in naturæ viſceribus, circa quam ſummi homines toti fuerunt occupati, neque hilum profecerunt, οὐδὲ γρῦ, vt ait Ariſtophanes, imprimiſque Plato in Timæo, quia ſi valeret eius ratio, ſequeretur magnetem omne corpus attrahere tam bene, ac ferrum: ne igitur, inquam, videar earum rerum velle nimis audacter affinitatem ponere pro cauſa (quam fateor aſsignare me nõ poſſe) moneo me ex ſententia doctiſsimi noſtra ætate viri, Ioſephi Scaligeri, loquutum eſſe, qui dicit id fieri, quia magnes ferro conſeruatur, & palea ſuccinum. Quod reliquũ eſt, pro rato habeamus amicorũ verum illud eſſe genus, quos morum ſimilitudo connexerit, non illud eorum quos vel vtilitas, vel voluptas ſibi inuicem inſinuauerit, vt hoc Epigrammate facetè indicauit Martialis:

Hunc quem cœna tibi quem menſa parauit amicum,
Eſſe putas fidæ pectus amicitiæ,
Aprum amat & mullos, & ſumen, & oſtrea, non te,

Tam bene si cœnem noster amicus eris.

Per cœnam intelligamus quãlibet voluptatem & vtilitatem.

Eiuſdem argumenti aliud Epigramma.

MEcum ſæpe loqui, uerſari ſæpe uo'entem
Te fugio, quereris, nactus & ipſe queror.
Neſcio quid redoles, mea te ui, odora recuſat.
Iuglandes redoles, talis abhorret odor.

Similitudo mater eſt beneuolentiæ, conſuetudinis & familiaritatis conciliatrix, quo fit vt iuuenes inter ſe libenter conueniant, ſenes cum ſenibus congregentur, nugẽtur, confabulentur. Et eorum cóuentu capimur, quibus ſimus ætate pares: ſed eorum citius quibus ſumus ſimiles moribus. Nullum vnquam vidi iuuenem, quem eius familiaritas delectaret, qui pubertatis annos cum attigiſſet, infantis perſonam ſuſtineret. Nullum vidi matura ætate virum, qui cum eo viro commercium habere vellet, qui iuuenile quippiam ſaperet. Quamobrem proſpiciendum eſt, vt ea quiſque præſtet quæ ætati ſuæ ſint accommodata, néue conſilium exuperet ætas: quibus quod accidit, eos vocat Ariſtot. Ethico. 1. pueros centum annorum. Ridiculum eſſet, iuuenem nuces tractare, virum virtutis excercitio non aſſuefactũ eſſe, ſenem iocis amoribúſque vacare: neque enim probo Anacreõtis Teij ſententiam, qui ſic dicit:

Λέγουσιν

Λέγουσιν αἱ γυναῖκες
Ἀνακρέων γέρων εἶ
Λαβὼν ἔσοπτρον ἄθρει
Κόμας μὲν οὐκ ἔτ' οὔσας
Ψιλὸν δὲ σεῦ μέτωπον.
Ἐγώ δὲ τὰς κόμας μὲν
Εἴτ' εἰσὶν εἴτ' ἀπῆλθον
οὐκ οἶδα, τοῦτο δ' οἶδα
Ὡς τῷ λέγοντι μᾶλλον
Πρέπει τὰ τέρπνα παίζειν,
Ὅσῳ πέλας τὰ μοίρης.

Cui planè aduersatur Ouidius,

Turpe, senex miles, turpe, senilis amor.

Catullus hæc opprobria facta seni cuidam amatori recenset,

Hunc puer, hunc iuuenis, turba circum stetit arcta.
Despuit in molles, & sibi quisque sinus.

Ex quibus apparet quàm cuique sit optimum ætati suæ consulere dum quid agit.

Amicitiam veram durare, & præsentes esse amicos, licet absint.

NOmina letæas tua me misisse per undas,
Immemoremq; tui dicis, amice, tace.
Sis procul, à tergo quamuis, sis antè, quid obstat?
Hæc non dissoluunt fœdus amicitiæ.

In amicitia contrahenda, firma potissimum & stabili, longa serie temporum est opus, salisque modij multi sunt comedendi cum eo quem tibi volueris deuincire, antequam eum sis expertus, quem

quem eſſet melius amicum facere, quàm habere: poteris enim ſtudiis alterius erga te reſpondere: ille verò quem tibi amicum feceris, veri amici officio atque muneri deeſſe timebit, cauebitque ne in culpã & peccatũ aliquod videatur incidiſſe. Amicitia enim ea remanſura demum eſt, quæ ſpontanea eſt, nec beneficiis extorta. Erit autem huiuſmodi, ſi virtutis & honeſtatis nomine colatur tantùm: ſin aliquem ad aliquod ſceleris fœdus adſciuerimus, amicitia illa perſtare quidem ad ſceleris abſolutionem vſque poteſt, hoc verò patrato, confeſtim non dicam diſſui, ſed cum impetu diſrumpi, atque in partes dilacerari neceſſe eſt. Et iſta quidem eſt Iſocratis ſententia in exhortatoria concione ad Demon. Τὰς μὲν τῶν φαύλων συνηθείας ὀλίγος χρόνος διέλυσε. τὰς δὲ τῶν σπουδαίων φιλίας οὐδ' ἂν ὁ πᾶς αἰὼν ἐξαλείψειεν. Quod enim ad illud pertinet ſæpè videre, licet graſſatores ſuas acies in ſeipſos quotidie contundere, eóſque diuidi ſingulis propè diebus. Quod ad poſtremum attinet, amici qui facti ſunt ſtudio virtutis & amore pietatis, eos ad extrèmum vſque diem vnanimes eſſe patet, de quibus dicamus cum Horatio,

Fœlices ter & amplius
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Diuulſus querimoniis.
Suprema citius ſoluet amor die.

Amoris pudici ſtatuam extitiſſe talem accepimus, vt inſculptum eſſet in capite, *longè & propè*: quo monebantur veteres, locorũ interualla

amicitias

amicitias non tollere,ſed exercitium & conſuetudinem dũtaxat,vt vult Iſocrates citato loco: dum ait amicos veros & bonos nõ tantum coli à ſuis amicis, dum adſunt, ſed etiam abſentes longiſsimè, οἱ μὲν γὰρ de bonis loqués, τοὺς φίλους παρόντας μόνον τιμῶσιν ἀλλὰ καὶ μακρὰν ἀπόντας ἀγαπῶσι. vnde Dido apud Virgilium, Æneam

— *Abſentem abſens, auditq; uidetq;.*

Quanquam de eo amore non loquimur,quo ardebat Dido,verùm de eo, de quo Euripides iis verſibus,

Ἀλλ᾽ ἔστι δή τις ἄλλος ἐν βροτοῖς ἔρως
Ψυχῆς δικαίας σώφρονος ἢ κἀγαθῆς.

In vmbilico legebatur, *antè & à tergo*: nam veluti ſtylus qui magnetem tetigerit, vergit ſemper verſus Septentrionem: ſic animus amici qui amici tetigerit animum, verſus amicum vergat ſemper neceſſe eſt. In pedibus autem legebatur,*poſt mortem & antè*. Mors enim corpora diſgregat, animos ſeparare non poteſt. Erga Menandrum regem ſuum ita fuerunt affecti Bactrienſes, vt eo demortuo decertarent vrbes quænam haberet regem:decretum itaque eſt, vt vnaquæque vrbs eius funera celebraret ad ſeditionem ſedandam. Virgilius in Epigrammate de obitu Mœcenatis amicitiam etiam poſt mortem perſtare indicat,

Et decet & certe uiuam tibi ſemper amicus,
Nec tibi qui moritur deſinit eſſe tuus.
Ipſe ego, quidquid ero, cineres intérque fauillas
Tunc quoque non potero non memor eſſe tui.

Amico

Amicorum inter se studia & officia.

Talia uinxerunt inter se uincula fratres
Tindaridas, ut nil firmius esse queat.
Castor non moritu rsquamma prognatus eadem
Interit, & casses non fugit ille necis,
Ab Ioue, perpetua, poscit, de morte resurgat
Frater: sic geminos mors capit atque fugit.
Non modo propter te stygios ad tempus adirem
Portus, perpetua nocte potirer ego.

Omnibus animalibus insitum est & viuere, & vitam quantum fieri potest protrahere, cùm qui semel fato concesserit, spiritus de nouo resumere, hoc est vno verbo, rursum viuere non possit, fictum & ementitum amicorum illud genus esse non potest, qui non modo sua omnia postponũt amicorum saluti, & qui vitam ipsam eorumdem causa non dubitant efflare. Quod quoniam est rarum in amicitia, & singulare, est & pulcherrimum. Nec tamen est difficile, si intellexerint amicitiam esse lucem vitæ, qua non tam eligerent plerique orbatos esse, quàm emori. Si tam multi, quia fructum suarum libidinũ non consequerentur, sibi violentas manus adferre non dubitarunt: quis mirabitur aliquem qui mortem oppetat pro amico quem castè, sincerè & purè prosequitur? Eos certè secum amicos habere melius est, quàm præsidiis vndique munitum esse. Quapropter Isocrates Demonico tria tantùm suadet habenda esse præsidiorum genera: quorum primum est amicorum virtus,

vt

vt enim ait Claudianus:

Non ſic excubiæ, non circunſtantia pila,
Vt tutatur amor.

& Cicero ſecũda Philippica, Nónne igitur millies perire eſt melius, quàm in ſua ciuitate ſine armorum præſidio nõ poſſe viuere? ſed nullum eſt iſthuc, mihi crede, præſidium, charitate & beneuolentia ſeptũ eſſe oportet, non armis. Quod fermè tenebat Auguſtus: rogatus enim num vellet habere cuſtodias, reſpõdit, ſe malle quod ſatius eſſet mortis gradum ſemel oppetere, quàm in perpetuo vitæ periculo verſari, continuóque metu langueſcere. Milites ſiquidẽ corrumpi poſſunt: amici nequaquam: eos enumerare qui præſidiis ſuis atque cuſtodibus aſſentientibus, nec reſiſtẽtibus vllo modo, cum multis poſſent, longum eſſet. Alterum genus eſt ciuium vnanimitas, tertium principis ipſius prudentia conſtituit. Verba ſunt Iſocratis iſta, Φυλακὴν ἀσφαλεστάτην ἡγοῦ σώματος εἶναι τήν τε τῶν φίλων ἀρετὴν, καὶ τὴν τῶν πολιτῶν εὐνοιαν καὶ σ' αυτοῦ φρόνησιν. Eius autem ſapientia & prudentia non erit mediocris, vt vult Agaſicles, qui imperet ſubditis, vt pater liberis: & hac ratione poterit tutò degere ſpretis cuſtodiis.

Propter diuitias pleroſque obliuiſci amicorum.

MIror cum fueris ſodalis olim,
Et cum non fueris ſuperbus unquam,

Cur

Cur nunc incipias. Latet. Quid istud?
Cur te difficilem fidis amicis
Præbes? Diuitiæ tibi paternæ
Succedunt. Vt opes, crescit amici
Horror; nî teneat perampla rura.

Sequentium Epigrãmatum expositionem (quoniam cum isto volumus coniungere) necessariũ est visum ea prius adscribere, & in hunc locum congerere.

Amicorum obliuio spontanea.

VErsabar comiter quondam, reminiscere, tecum:
Si tamen occurri, dicis, Amice, quis es?
Ignotus tibi sum: notus tamen, ut pote fingis,
Dignior esse putas, cum simus ambo pares.

In quo pares & impares sint homines.

NOn mihi communis tecum fortuna, supersunt
Ludus quæ furto callidiore rapit:
Attamen inter nos illud commune putatur,
Tarda quòd aut properans nox manet una duos.

Alexander mortuus ac tumulo destitutus.

PElæi madidas salsus adit genas
Humor, nec satis est orbis unus sibi:
Tandem, fila suæ soluit ut Atropos,
Vitæ, nec cineres urna tegit suos.

Memi

Meminerit quiſque qualis ſit.

CVr ueſtrum, iuuenes, thoraca, ueſtri
Cordis, bulla tegit, ferens figuram?
Cordati, memores monilis, eſte
Et penſam meriti referre bullam.

Duæ ſunt res quæ dum contingunt, eos vt plurimum diſgregant, quos quilibet indiſſociabili vinctos copula iudicaſſet. Altera eſt quando eorum vnus qui neceſſarij videbantur, loco motus eſt, atque de ſua ſede depulſus, fortunæ varietati cõmittitur: eiúsque cõmiſerationi exponitur. Prætereo verſus Ouidij, tanquam peruulgatos,

Aſpicis ut ueniant ad candida tecta columbæ,
Accipiat nullas ſordida turris aues.

& cætera. nam quid aliud ſonat in Elegiis? Non video quid neceſſe habeam Ciceronem appellare, qui in Rhetoricis hirundinem cõfert cum iis qui amicos deſerunt, illa enim vere nouo ad nos aduentat, communique vtitur hoſpitio: hyems ſi redit, deuoluat. Quid recitẽ illud Pindari, quod habetur ode 10. Stroph. 5. in Nemeis,

Παῦροι δ' ἐν πόνῳ πιστοὶ βροτῶν.

Id pluribus perſequi non eſt inſtituti noſtri. Altera eſt, quando quis eorum qui amici videbantur fit opulentior & potentior, ideóque dixit Iſocrates, mores filiorum cõmutari accedente hæreditate paterna, quemadmodum ſuam mutant ſubſtãtiam, hoc eſt ſuas facultates. τρέπει γὰρ τοὺς παῖδας, ὥσπερ τὰς οὐσίας, οὕτω καὶ τὰ πατρικῆς

κληρονομεῖν. Hoc quoque fit quando quis eorum in eminentiore loco ponitur: vt enim vulgo dici ſolet: honores mutant mores, quemadmodum apud Arithmeticos variæ numerorum ſedes, ipſorum mutant valores, ſed vehementer errant qui ſe vt vident in ſummis honorũ apicibus eſſe collocatos veteres amicitias negligũt, quod quàm ſit peſsimum non percurram, ob longam nimis digreſsionem, ex qua me non poſſem expedire liberè. Meminerint ſe homines eſſe & propterea pares. Hæc ſunt verba Ciceronis. Homines nos eſſe meminerimus ea lege natos, vt omnibus fortunæ telis propoſita ſit vita noſtra, neque eſſe recuſandum: quo minus eà qua nati ſumus conditione viuamus. Quod vt in aduerſis videndum, tum & in proſperis rebus proſpiciendum eſt & conſiderandum. Cauendum enim eſt ne illis deprimamur, his autem inſoleſcamus, ſed quid honoris nobis deferatur, id, quantumcunque ſit, perſonæ quã ſuſtinemus, & magiſtratui quem gerimus, tribuamus, quod faceto Gabrias indicauit apologo, de quodã Aſino aureũ idolum humeris ſuis impoſitum portante, quod cum obuiam facti adorarent omnes flexis genibus, intumuit, & properare nolens id honoris ſibi deferri putauit, ſed agaſo arrepto baculo percuſsit Aſinum dicens, ô aſine nõ es Deus tu, ſed portas deum.

Ὤμοις ὄνος παρῆγεν ἀργύρειον βρέτας
Ὅπερ συναντῶν πᾶς τὶς ἂν ἐπροσκύνει
Τύφῳ δ᾽ ἐπαρθεὶς μὴ θέλων μένειν, ὄνος
Ἤκουσεν οὐ θεὸς σὺ τὸν θεὸν δ᾽ ἄγεις.

Tarquinius

Tarquinius Priſcus filium ſuum tredecim annos natum bulla & prætexta donauit, quòd hoſtem in prælio percuſsiſſet. Vnde ea cœperunt eſſe inſignia nobilium Romanorum puerorũ. Quãquam à Romulo tradit accepta Plutarchus. Erat autem bulla figura cordis humani ex auro puro puto, quæ pueri è collo pendentem ante pectus geſtabant vt meminiſſent ſe viros fore ſi corde valerent. Itaque conſtitutum ſit animo tenere oportere, nec vnquã memoria labi, quales ſimus. Porrò meminerint iſti vadimoniorũ deſertores (neque enim diſtant ab iis, qui amicos deſerunt, dum non adſunt præſto quibus ſpopõderunt) meminerint inquã, ſe homines, ſuósque amicos quos deſerũt eadem ſorte creatos eſſe, ad eadémque poſſe peruenire, ad quæ ipſi peruenere, ſe verò forte non poſſe minimã eorum virtutẽ aſſequi, quod indicat Bilbilitenſis poëta Epigrammate in Calliſtratum.

Sum, fateor, ſemperq́; fui, Calliſtrate, pauper,
Sed non obſcurus, nec malè notus eques.
Sed toto legor orbe frequens, & dicitur, hic eſt,
Quodq́; cinis paucis, hoc mihi uita dedit,
At tua centenis incumbunt tecta columnis,
Et libertinas arca flagellat opes.
Hoc ego tũque ſumus, quod ſum tu non potes eſſe,
Tu quod es, è populo quilibet eſſe poteſt.

Meminerint præterea ſe mortales & ideo pares eſſe: perſonas enim neſcit mors, neque huic potius quàm illi parcit. ſic Horatius,

Aequa lege neceßitas

Sortitur insignes & imos.
Omne capax mouet urna nomen.

Quod probat idem in dialogiſmo nautæ & Architæ Mathematici ab inductione egregiorum virorum qui mortui ſunt, ſic alloquitur Architam nauta,

Te maris & terræ numeróque carentis arenæ
Menſorem cohibent, Archita,
Pulueris exigui prope littus parua Matinum
Munera, nec quicquam tibi prodeſt
Aërias tentaſſe domos, animóque profundum
Percurriſſe polum morituro.

Reſpondet Architas Tarentinus mathematicus.

Occidit & Pelopis genitor conuiua deorum
Tithonusq́; remotus in auras.
Et Iouis arcanis Minos admiſſus, habéntque
Tartara Panthoiden iterum orco.

Et paulò pòſt,

—ſed omnes una manet nox,
Et calcanda ſemel uia lethi.
Mixta ſenum & iuuenum denſantur funera: nullum
Sæua caput Proſerpina fugit.

Propertius,

Omnibus eſt eadem lethi uia,

ſed vt ipſe dicit,

— non tamen unus
Eſt uitæ cunctis, exitiiq́; modus.

Pindarus quoque diuites & pauperes ad mortis ſepulchrum migrare indifferenter aſſerit,

Ἀφνεός τε πενιχρός τε θανάτου
Παρὰ σᾶμα νέονται.

Memi

Meminerint quòd & morituri sunt, neque rursum victuri, vt ait P. Ronsardus post Catullum, cuius ij sunt versus,

Soles occidere & redire possunt,
Nobis cum semel occidit breuis lux,
Nox est perpetua una dormienda.

Falsum est apud Christianos qui credunt resurrectionem, sed tamen aliquo pacto intelligi potest Catullus, ab ipsismet Christianis (quales Dei beneficio sumus.) Meminerint quoq; illi, nihil nos reportaturos nobiscum post mortẽ. Magnus ille Philippi Macedonis filius Alexander mortuus est, vt patet ex dialogo Diogenis & ipsius apud inferos, quem habet Lucianus, & quod peius est, cui, vt ait Iuuenalis, vnus orbis non sufficiebat, tumulo destituitur, vt est & in ipso dialogo & in variis tuis lectionibus charissi. pater. Meminerint quoque honores diuitias & pompam exuere, nudósque cymbam Charontis ingredi oportere: parua enim est, & rimosa: ne itaque citius vergat in alteram partem, non multis sarcinis & grauibus oneribus adimpleri debet, & ideo cum omnia reiicienda sint pares erũt iis quos deseruerunt vel propter afflictionem, vel propter incremẽtum potentiæ propriæ. In Luciani dialogo Charontis & Mercurij, hic curam gerit, vt omnes nudi nauiculam conscendãt. Itaque Menippus abiicit & peram & baculum vt ingrediatur. Charmoleus suam pulchritudinem & labia cum osculis, quorum vnumquodque constabat duobus talen-

tis, densam comam, genarum ruborem, atque adeo totam cutem iubetur exuere. Lampicus Gelorum non amplius tyrannus sed mortuus, fastum & superbiam deserit in littore monitus à Mercurio, neque hæc tātùm sed & crudelitatem, violentiam, amentiam, & iracundiam, quibus non parum grauatur nauicula. Damasias ille carnosus athleta sua carne spoliatur, ne pedem alterum ponens in nauicula submergat eã, nec ei coronas & præconia secum deferre permittitur. Crato diuitias, mollitiem, delitias, maiorum suorum dignitates, genus & gloriam, statuarum inscriptiones, magnum sepulchrum & epitaphia respuere cogitur: quorum vel ipsa memoria non parum nauiculam onerat. Ideóque vter melius dixerit ignoro, Enniusne, an Solon, quorum alter dicit,

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit, nam uolito uiuus per ora uirûm.

Alter vero amicorum suorum lacrymas petit post mortem: verum vt dicam cum Anacreõte,

Τὶ μὲ δεῖ λίτον μυρίζειν,
Τὶ δὲ γῆ χέειν μάταιν.

Cæterum Philosopho imperat Mercurius vt tollat ob longam barbam, elatiora supercilia, subtilitates, fallacias, dubia sua & quæstiunculas, Rhetori verborum inanem iactantiam, itaque non possum eos ludibrio nõ excipere, quos in variis lectionibus memoras, suas secum voluisse sepeliri diuitias: oportuerat enim illas sepelire dum viuerent, hoc est suas curas: nam fermè diuitiæ

uitiæ curæ ſunt. Exclamat itaque Palladas,

Χρυσὲ πάτερ κολακῶν, ὀδύνης καὶ φρόντιδος υἱέ.
Καὶ τὸ ἔχειν σε φόβος, καὶ τὸ ἔχειν σ' ὀδύνη.

Quod epigramma Petrus Ronſardus Gallicũ, Alciatus Latinum fecit. Curas eſſe diuitias indicat Propertius ſub pecuniæ nomine,

Ergo ſollicitæ tu cauſa pecunia uitæ,
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu Pœtum ad Pharios tendentem lintea portus
Obruis inſano térque quatérque mari.

Anacreon donatus duobus talentis à Polycrate vt duas iam noctes ſe vidiſſet ſolicitum, ea reiecit dicens ſe malle dormire liberè quàm curis & anxietatibus excrutiari.

Iſti quoque qui dum viuerent omnibus affluebãt copiis, dolent maxime dum vident iis orbari ſe & mortẽ fores pulſare. Itaque in illo Luciani Dialogo, vt perſequar, medias vt ſecant aquas, ſimus hilares, ait Mercurius, quid ploratis? Solus Menippus abſque lacrymis trãſibat. Si plorandũ propter mortẽ, mors certè metuenda eſt, ſi demum metuenda eſt, eſt quia mala. Vt enim ſpes eſt futuri boni, ſic metus imminentis mali: atqui ante mortem nemo beatus: ergo quo modo ploranda, metuenda, & mala mors eſſe poteſt? Neminẽ beatum ante mortem eſſe poſſe credidit ſibi à Solone dictum Crœſus, cum ſe ad extremas vidit redactum anguſtias: ſed Ouidius quoque in ea eſt ſententia Metamorph. 3.

— ſed ſcilicet ultima ſemper

Expectanda dies homini est dicique beatus,
Ante obitum nemo supremáque funera debet.

Indicat & Trophonius qui post erectum à se téplum Apollini, cùm ea petiuisset quæ beatum facerent hominem, triduum pòst mortuus est repertus. Reliqua præteribo quę Tusculana prima Tullius de proprio narrat instituto. Quòd autem mors non sit metuenda quis vetat coniicere ex iis quę Mycilus dicit lib. Metamorph. 15.

O genus attonitum gelidæ formidine mortis,
Quid styga, quid tenebras & nomina uana timetis
Materiem uatum falsiq; pericula mundi?

Hæc Mycilus apud Ouidium. Nunquid mori satius est quàm vitæ splendore & lumine priuatum viuere? At sese ipsi excæcant qui amicos deserunt. Vt enim Cicero in Lælio, solem è mundo tollere videtur qui tollit amicitiam: & Pindarus in Nemeis, orbatus luce est qui caret amicis,

Οἱ χεταὶ τιμὰ φιλῶν τητωμένω
φωτὶ.

Leuis mihi certè videtur esse causa amicitiæ deserẽdæ opulẽtia deserentis, vel afflictio deserti.

Vultus index animi.

Tristis es, & præter solitum suspiria ducis,
Ne, rogo, me cela, suspicor esse aliquid.
Exiliunt uenæ uehementius, ureris, aut quid?
Quæ tibi tam subiti causa doloris adest?
Ista tuo, nulli tua uulnera nota, latere
Corde putas, potuit prodere uultus, amas.

Quam

Quanquam ex rebus externis internas qui cocolligunt vehementer aberrant: nihil propterea veritatis atque ſplendoris deperdit hæc ſententia, Index animi vultus. Animi eſt enim omnis actio, (ait Tullius 3. de oratore) & imago animi vultus eſt, indices autem oculi. Quòd indicat locus ille quẽ attulimus ex Seneca, quando de ira loqueremur. Qualis eſt animus, cuius extra imago tam fœda eſt? Imò & tota corporis figura interdum actio & moderatio qualis ſit animus, indicat aliquando: vnde ſic Zoilum ludit Martialis,

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine luſcus,
Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.

Pari ratione Fannium Chæream Cicero cauillatur pro Roſcio Comœdo, *Nónne ipſum caput & ſupercilia illa penitus abraſa, olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? Nónne ab imis vnguibus vſque ad verticem ſummum (ſi quam coniecturã affert homini tacita corporis figura) ex fraude fallaciis, mendaciis, conſtare totus videtur? qui idcirco capite & ſuperciliis ſemper eſt raſis, ne vllum pilum viri boni habere dicatur.* Si Socratem & Æſopum proponimus, & reliquos qui viri boni extitere, cum eſſent facie non pulchra, quippe Socrates ridebat ſuas mulieres (tres enim habebat) quòd contenderent, de baſiationibus ipſius dicens, cur æmulæ eſtis, & corriuales propter baſia hominis tam fœdi, qualis ego ſum? Æſopi verò gibbum, & faciei turpitudinem (ſi turpitudo eſt) quis ignorat? Sed vna hirundo non facit

ver. Si quis obiiciat versum illum Ouidij:

Non formosus erat, sed erat facundus Vlysses.

Forma mulierum est, dignitas virorū, atque authoritas. Si quis illius proponat verba, qui dicebat corpus effingere non potui, animū potui: cur non facis vt animi præstantia tollat obscœnitatem corporis? Vultus eorum videmus, qui sceleris alicuius conscij sunt, non constare sibi: initio ruborem emittere, pallere postea, pluresque colores inducere quàm Prometheus. Itaque exclamat Ouidius Metamorph. 2.

O quàm difficile est crimen non prodere uultu.

Præterea qui amant, tristitiam inducunt, immutant vultus, intumescunt eorum oculi. Plerique etiam pueros bonæ indolis esse coniiciunt ex facie. Nam & oculi nimis arguti (verba sunt Ciceronis 1. de legibus.) quemadmodum affecti simus loquuntur: & qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse præter hominē potest, indicat mores. Itaque sic Pisonē increpat oratione 13. in illum, *Non enim nos color iste seruilis, non pilosæ genæ, non dentes putridi deceperunt: oculi, supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic homines in errorem impulit, hic eos quibus erat ignotus decepit, fefellit, in fraudem induxit.*

Francisci Petrarchæ triumphi hoc Epigrammate contenti.

PEctora uincit amor transfixa corde sagitta,
Virtutisq; iacet cuspide uictus amor.

Virtu

Virtutem ſuperant lethalia fata : ſed illa
Contemnit tumulo ſplendida fama carens.
Tempore fama perit, uerùm ſupereminet ipſis
Temporibus, rerum conditor ille, Deus.

Magna certè vis amoris, qui tentare omnia nõ veretur, vt meritò dicatur à Platone παντὸς ἐπιχειρητής, ſed neque ſolùm omnia prælio laceſcit : quinimo & victoriam & gloriæ trophęa reportat, triumphátque, & omnia domare poſſe videtur, vnde etiam omnium domitor Græcis appellatur hoc eſt πανταμάτωρ. Ideóque dixit Virgilius,

Omnia uincit amor, quid enim non uinceret ipſe?

Quemadmodum ignis ferrum emollit: ſic amor duriſsima penetrat pectora. Nec modo carpit infimæ conditionis homines, ſed & reges ipſos, ac imperatores: quanquam ait Ouidius 2. Metamorpho.

Non eſt conueniens, nec in una ſede moratur
Maieſtas & amor.

Sed ſceptrum in altero bilancis ponatur lance, amor in altero, proculdubio declinabit amor in infimam partem, & excedet grauitate ponderis, vt enim ait Tibullus, quod quoque habet Anacreon,

Neſcit amor priſcis cedere imaginibus.

Colueruntitaque veteres amorem ob eius affectus potentiſsimos, nec ſufficit quod vitium coluerint, Deos ipſos fecerunt ἀνθρωποπαθεῖς,

Nec ſatis eſt quòd tale nefas committitur, ipſos
Inſcripſere Deos ſceleri numénque ſupernum.

Quid

Quid memorem amores Apollinis? Quid conuocato Deorum omnium cœtu, Martem cum Venere vinctum compedibus prodam? Quid furta dicam maximi Deorum omnium Iouis? Apud Lucianum in dialogo Διὸς καὶ ἔρωτος, Iupiter se superatum fatetur à Cupidine, quippe dicit se propter amorem aliquando factum esse satyrum (Nycteides scilicet amore captus) taurúmque (vt frueretur Europa) aurum (vt Danae) olorem (vt Læda) Aquilam (vt Ganymede.) Verba Luciani quibus Cupidinem alloqui Iouem facit, subsequuntur ὥστε μήδεν ἐστιν ὃ μὴ πεποίηκας με. σατύρον, ταῦρον, κύκνον, ἀετόν. sed multò plures Iouis μεταμορφοσεῖς enumerat Ouidius, præter superiores, quas etiam tradit. Versumque dicit fuisse in Dianam, vt Calistus frueretur amplexibus, in Amphitryonem, vt in Alcmenes foueretur molli sinu, in ignē vt clandestinè Asopidem subriperet, in pastorem, vt Mnemosinem corrumperet. Quid à Mercurio vitiatam Chionem commemorem? Quid Neptuni? Quid Apollinis mentitos recitem vultus, vt suis amoribus flagitiosissimè, ac impurissimè inseruirent? Magna certè vis amoris: tamen malè mihi videtur sic proponere Virgilius,

Omnia uincit amor,

Et concludere quoque malè,

— & nos cedamus amori.

Etenim quoniã superatur ipse amor, necesse est id saltem à quo superatur inuictum perstare, & amorem ideo non omnia vincere. At amor virtuti

tuti cedit, hoc eſt caſtitati, quæ ipſum amorem miſerandum in modum dilacerat, neque alius eſt opinor, quàm ἀντέρως, à quo vinctum vidiſſe videor in epigrammatis Grȩcis Venereum amorem (quanquam vterque Venereus dici poteſt pro ratione duplicis Veneris, ſed de communi loquimur) atque huius ignes alterius conſumi flammis, hoc eſt amoris virtutis, qui contrarius iſti eſt: idcirco ἀντέρως dictus eſt. Itaque 2. de arte amandi ſic Ouidius,

Alterius uires ſubtrahit alter amor.

Caſtitatem autem ſuperat mors, corpus quippe ſeparat ab anima, quo ſine caſtitas nulla eſt, & qua ſeparatione facta, homo ea quæ ſunt virtutis agere non poteſt. Fama verò ſpernit mortem, neque enim eorum qui in hoc vitæ ſtadio vno ſemper cucurrerunt anhelitu, neque vitioſos ſpiritus emiſere, vnà cum corpore nomen, & laus omnis emoritur, nec deletur memoria, Odo de Variis, veluti author eſt Æneas Syluius, Iulianum, Cardinalem Sanctangeli, quondam eo ſcommate excipere voluit, cum circa lectionem antiqui cuiuſdam authoris occuparetur, dixítque, Quid tamdiu verſaris cum mortuis? Reſpondit Cardinalis, ſatius eſt verſari cum iis qui fama viuunt & nomine, quàm tecum, cuius nomen extinctum eſt, & cum viuas, re non viuis. Nunquid Ennius famam tumulo carere iudicauit dicens,

Nemo me lacrymis decoret nec funera fletu
Faxit, nam uolito uiuus per ora uirûm.

Et

Et neſcio quid ſibi velit Solon,

Mors mea ne careat lacrymis.

Veruntamen ætate, longáque temporum ſerie fama perit, quæ vt vult Horatius,

— effodiet, condétque nitentia.

Deus autem qui eſt ante tempus, ſupereminet ipſis temporibus, cum tempus procedat ex motu primi mobilis, vt placet Ariſtoteli, quem feꝗcit Deus optimus maximus.

Solam Mineruam amore non capi.

NOn parcis Veneri, non Marti, Iuppiter ipſe
De telis queritur, parue Cupido, tuis.
Iuppiter eſt ſummus diuûm, Venus aurea mater,
Cur intacta manet ſola Minerua tibi?

Apud Lucianũ in dialogo Veneris & Cupidinis queritur ad cupidinem Venus, quòd nec Ioui, neque Apollini, neque Mercurio neque Iunoni, neque Neptuno, neque ipſi matri parcit, intactam autem ſolam relinquit Mineruam, & aduerſus eandem eſt ſine igne, ſine arcu & ſagittis ἄπυρος ἄτοξος καὶ ἄστοχος. Cupido reſpõdet, hanc equidem vereor, mater, eſt enim formidoloſa, rigida, grauis, ſeuera, atque indefeſſa. At ſubiicit Venus, Nũquid Mars eſt timendus magis. Reſpondet Cupido, Me lubens admittit, me prouocat. ἀλλ' ἐκεῖνος ἑκὼν προσίεταί καὶ προκαλεῖ με. Minerua autem me eiicit, è manibus ſagittas abripit, lampadem habet accenſam, qua me præcauet atque præuidet, nunquam illam

ego

ego reperio labore vacantem, continuo molitur aliquid, negotiũ aliquod pertractat, & semper versat aliquid. Quod certè remedium aduersus amorem est optimum: neque illud præteriit Ouidius quarto de remedio amoris,

Ergo ubi uisus eris nostra medicabilis arte
Fac monitis fugias otia prima, meis.
Hæc ut ames faciunt: hæc quæ fecere tuentur.
Hæc sunt iucundi causa cibúsque mali.
Otia si tollas periere cupidinis arcus,
Contemptæq; iacent, & sine luce faces.

Idcirco neque Minerua, vt patuit, neque Musæ, neque etiam Diana succumbunt amori. In Florileg. Epig. Græcorum, legitur hoc Epigramma,

Ἁ κύπρις μούσαισι, κοράσια τὰν ἀφροδίταν
Τιμᾶτ' ἢ τὸν ἔρον ὔμμιν ἐφοπλίσσομαι.
Καὶ μοῦσαι ποτὶ κύπριν ἄρει τὰ στώμυλα ταῦτα
Ἥμιν δ' οὐ πέταται τοῦτο τὸ παιδάριον.

quod sic Latinum feci,

Cypris ait Musis, Cytheren colitote puellæ,
Aut Cytheres ad uos irruet ipse puer,
Marte ualet. Musæ Marti referenda dedere
Talia, nescit nos paruulus ille puer.

Dianam quoque nõ potest ferire, quippe semper vagatur in saltibus, modò ceruum persequitur, modò verò aprum, ac tota venationi dedita, nunquam ab hoc studio animum auocat, nunquam otiosè degit, ideóque vocarunt hanc poëtæ virginem asperam, atque idcirco facilè mihi persuaderem Horatium venatorem coniugis immemorem dixisse, quia totus huic

studio

ſtudio ſeſe applicet, vt nequidem dum domum reuertitur conquieſcat, at ſemper de ſua venatione cogitet, vt enim Ouidius,

Venator defeſſa thoro dum membra reponit:
Mens tamen ad ſyluas & ſua luſtra redit.

Quemadmodum etiam ipſi canes nihil auidius appetunt quàm venationem, ſi huic rei fuerint initiati: ſic de ipſis Horatius in Epiſtolis,

— Venaticus ex quo
Tempore ceruinam pellem latrauit in aula,
Militat in ſyluis catulus.

Sic idem de Venatore Ode prima libri primi Carminum,

— Manet ſub Ioue frigido
Venator teneræ coniugis immemor,
Seu uiſa eſt catulis cerua fidelibus,
Seu rupit teretes Marſus aper plagas.

Itaque ratum eſt eos, qui deſidiam fugiunt, ac turpe otium, amore non poſſe capi.

Amor cur dicatur à veteribus puer, & cur non ſit infectus rubigine arcus eius.

DIc mihi, cur puerum uetus ætas finxit amorem,
Qui uincit Pylij tempora longa ſenis?
Dic mihi cur arcum nulla rubigine læſum
Poßidet? ille omni tempore tendit eum.

Puerum Cupidinem finxere veteres, vt patet ex omnibus poëtis, vtque fatetur ipſe Cupido contundens Anacreontis oſtium,

Βρέφος εἰμι, μὴ φοβήσαι.

Sed

Sed ſi rationem ætatis habere volumus qua homines incenduntur, & amare incipiunt, profecto dicetur adoleſcens. Nam & Plutarchus inter vitia quæ ſolent adoleſcentibus accidere, παρθένων ἔρωτας καὶ γυναικῶν οἰκοφθορίας enumerat. Et Licurgus apud Xenophontem ἐν τῇ τῶν λακεδαιμονίων πολιτίᾳ, cùm videret ex adoleſcētia naſci ſpiritus, & inſolentiam emergere, ac voluptatū cupiditates, ſtatuiſſe dicitur, adoleſcentes ad verecundiam informare cupiens, vt ij per vicos incedentes manus intra palliolum continerent, ſilentium obſeruarent, nec quicquam ſpectarent, quàm quod ante pedes eſſet, nec labra magis, aut oculos, quàm ſi lapideis vel igneis eſſent oculis, mouerent, vt ſic verecundi eſſent & ſe temperarent ab iis flagitiis. Deinde vero in comœdiis, portarum eruptiones, amores impudici, ſtupra & id genus execranda flagitia tribuuntur adoleſcentibus. Incidi porro in locum quendam Anacreontis, vbi tribuit ἰούλους Cupidini. Ac ſi tribuendi ſunt, ratio eſt quam attulimus. Si vero ætatem perpendamus ipſius amoris, & quo tempore viguerit vt concludit Iupiter in huius dialogo ac illius, apud Lucianum, erit, hercle, Iapeto vetuſtior. Amor ſermonem inchoat. Ἀλλ' εἰ τὶ ἥμαρτον συγγνῶτι μοὶ ὦ ζεῦ. παιδίον γὰρ εἰμι, καὶ ἔτι ἄφρων. Ζ. σὺ παιδίον ὦ ἔρως, ὃς ἀρχαιότερος εἶ πολὺ τοῦ Ἰαπέτου & cætera. Sed puerum eum finxere veteres, quòd licet verſutus, ac dolo malo refertus: eſt tamen expers boni conſilij. Puerorum enim eſt imperfectum conſiliū,

vt vult Ariſtoteles. Optimè igitur Parmeno, apud Terentium in Eunucho, quod ſumpſit Horatius Satyra quadam,

Here, quæ res in ſe, neque conſilium, neque modum
Habet ullum, eam conſilio regere non potes.
In amore omnia hæc inſunt uitia: iniuriæ,
Suſpiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rurſum: incerta hæc ſi tu poſtules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quàm ſi des operam ut cum ratione inſanias.

Quod reliquũ eſt Cupidinis arcus, vt diximus, nulla eſt infectus rubigine: quia perpetuò exercetur. Atque hoc figmento (quod è riuulis ingenij mei rudis quidem ac imbecillis depromptum eſt) docemur, nihil eſſe, cuius beneficio citius artem aliquam ediſcere valeamus, quàm aſsiduitatis. Nam vt eſt in Palinuro (qui neque eſt Græcè ſcriptus, neque factus à Luciano) res duræ, aſsiduo quodam vſu fiunt mitiores, ac veluti domantur. Quod illuſtrabitur ſplendidè ſatis, opinor, à ferro petita ſimilitudine (quod duriſsimum eſt) illud ſi exerceatur, expolitur, fit dilucidius, & tractabilius. Quare præſtans aliquod & ſtudioſum opus cum incœperimus, cauendum eſt, ne in medio fluitãtes mari, nos remora quædam remoretur, ſed fortiter in inſtituto eſt perſeuerandum, & eodem ſemper pede procedendum, ad finem vſque.

In quemdam obſcœnum ſcriptorem.

LYdius ille tuas implet, mi Næuole, chartas,
Talia nec, dicis, uota ſonare ferunt.
Heroasq; fugit tenuis tua uena: nec illud,
Vt tibi lubrica mens, lubrica charta tibi.

Quemadmodum trito fertur adagio, vbi dolor ibi manus: ſic mens ſe libenter eò confert, vbi capit voluptatem aliquam: fitque, vt ea ſæpius inhæreant menti noſtræ, ex quibus ſolemus delectationem capere, eáque habemus in ore, quæ mente voluimus: fitque vt etiam dormientes de illis ipſis rebus ſomniemus, quibus delectamur, & graue eſt ac moleſtum ab huiuſmodi ſomniis experrectos diſturbari. Vnde cum Anacreō verſatur ſomnians cum ſuo Batyllo, atque excitatur, ſolet dicere ſe rurſus velle dormire,

Πάλιν ἤθελον καθεύδειν

Et alibi ad hirundinem,

Τί μεῦ καλῶν ὀνείρων
ὑπορθρίαισι φωναῖς
Ἀφήρπαξας Βάτυλλον.

Si (vt alibi retulimus ex Socrate) hominē voce, vt figlinū ſono pernoſcimus, non iudicabimus eum moribus eſſe integris, quî prauos ſermones ediderit: qui fit vt Anacreōtis lyra reſonet amores, Ode 1. cùm hoc tempore vellet Anacreon Herculem ſonare? Quia licet hoc tēpore vellet Herculem canere: attētior tamen erat ad amores, atq; eò liberius eos aptabat numeris & fidibus, quòd maiorē ex illis caperet voluptatem.

Excuſationi autem non inſeruit vena tenuis,& rebus humilibus (quales amatoriæ ſunt) accõmodatior. Scio equidẽ poëtas à variis muſis concitari. Verũtamen afflantur prout placẽt muſarũ cuilibet. Huic autem vel illi magis placẽt, quia magis delectantur iis rebus quæ muſæ illi tribuũtur, cui placent. Pręterea Platonis locus quidam occurrit ex Ione, vbi dicit, poëtas ea, mente agitare ſolere, quę canunt, vt ſi lubricas & laſciuas edant cantiones, mentẽ habeant impuram, καὶ τῶν μελλοποιῶν ἡ ψυχὴ τοῦτο ἐργάζεται ὅπερ αὐτοὶ λέγουσι. Ideóque culpa in venam nõ eſt reiicienda, & bene Ouidius Elegia 2. de arte amandi, in ſeipſum, non in venam culpam transfert.

— Heroum clara ualete
Numina, non apta eſt gratia ueſtra mihi.

Amorem eſſe malum ab effectis.

RES mala quod ſit amor, hinc auſpicor, ut pote cunctis
Caſſes qui famulis texerit ipſe ſuis.
Millia Tartareas hominum tot miſit ad undas!
Troianiq́; fuit prima ruina Laris.
Hoſpitibusq́; ſuis omni pro munere, factum
Telis, in medio pectore, uulnus alit,
Nulli unquam fauit, binas iacit ille ſagittas,
Hæc mollit pectus, durius illa facit.

Cum duo ſint amorũ genera, quæ ſupra ex Euripide attulimus, quanto melius eſt altero corripi, tanto peius ardere altero. Videtur ſiquidem aliud nihil efficere quàm illos qui turpiter incendunt

cenduntur, variis tormẽtis afficere. Quippe cupiditates ingerit, neque vnquam illis obſequitur, ſed duas vibrat ſagittas, quarum altera pectus emollit, altera, durius reddit. Tãtum abeſt, vt ſolatium adhibeat. Itaque Iupiter, apud Lucianum, Cupidini ſuccenſet, quòd omnium mortaliũ quas adamauit aliquando, nulla voluerit ſuis amoribus inſeruire. Idcirco parit ſollicitudines, curas, & lamentationes innumeras genus illud amoris. Quare cum ſit iucundius emori, quàm in perpetuo luctu viuere: grauiſsimum quod ſumi potuit, ſuplicium ille videtur impoſuiſſe amantibus, qui in variis tuis lectionibus, chariſs. pater, amatoribus pœnas volens indicere, vitam eis concedit, interdicto fructu ſuarum libidinum. Itaque Leander apud Ouid. cum videt, & conſiderat, quòd

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Sic iudicat, aut eſſe moriendum, aut ſuis amoribus perfruendum.

Aut mihi continget fœlix audacia ſaluo,
Aut mors ſolliciti finis amoris erit.

Vt enim eſt 10. Metamorph.

Nec modus aut requies niſi mors reperitur amoris.

Nam vt Horatius,

Qui metuens uiuit, liber mihi non erit unquam.

Et Saguntini patres ſuos liberos emori maluerunt, quàm ſeruos viuere. Sed & hoc etiam eſt malum in amore quòd homines facit inſanire: vnde ſic Horat.

Tunc nec mens mihi, nec color

Certa ſede manet, humor & in genas
Furtim labitur, arguens
Quàm lentis penitus macerer ignibus.

Ouidius quoque furioſam Myrrham facit 10. Metamorph.

— *At uirgo Cyneräa peruigil igne,*
Carpitur indomito, furioſaq; uota retractat.

Vt Didonem Virgil. 4. Æneidos,

Ardet amans Dido, traxitq; per oſſa furorem.

Et non ita multò pòſt,

Vritur infœlix, Dido, totaq; uagatur
Vrbe furens: qualis coniecta ceruа ſagitta, &c.

Porro per amorem ſuſcipiuntur inimicitiæ, per amorem magnæ ruunt familiæ, per amorem omnis anteactæ vitæ fama perit, decus extinguitur, indelebilis ignominiæ macula conſequitur. Quorum omnium eſt exemplum in Didone, quæ ſic Æneam, Æneidos quarto,

— *miſerere domus labentis.*

Et deinceps,

Te propter Libycæ gentes Nomadumq; tyranni,
Odere, infenſi Tyrij, te propter eundem,
Extinctus pudor, & qua ſola ſydera adibam
Fama prior.

Sed quomodo fama ſupereſſet, cùm tollatur virtutis ſtudium? Amor quos affligit eos ab omni actione ſtudioſa ſegnes facit, & inertes ac deſidioſos reddit. Quãobrem ſic Horat. ad Lydiam,

Lydia dic per omnes
Te deos oro, Sybarim cur properes amando
Perdere, cur apricum

Oderit campum patiens frigoris, atque solis,
Cur neque militaris
Inter æquales equitet: gallica nec lupatis
Temperet ora frænis,
Cur timet flauum Tyberim tangere? cur oliuum
Sanguine uiperino,
Cautius uitat? neque iam liuida gestat armis
Brachia sæpè disco,
Sæpe trans finem iaculo nobilis expedito,
Quid latet, ut marinæ
Filium dicunt Thetidis sub lacrymosa Troiæ
Funera: nec uirilis
Cultus in cædem, & Lycias præriperet cateruas?

Denique vt vno verbo dicã, amor est ruina hominum, atque perditio.

In quemdam Musicum.

AD strepitum cytharæ uiuam componere uocem
Tam bene qui nosti, tangis & arte lyram.
Dúmque moues plectris lapides resonantibus, ima
Discrepet à media chordáq; summa, caues.
Concentúmque facis numeris implentibus aures,
Harmonia miror, quòd tua uita caret.

Duo sunt præter cætera quæ Platonem mirum in modum obscurum faciunt, numerus scilicet, & harmonia: sed cum vtrumque difficultatem habeat non exiguam: facilior tamen est numerus, quippe communior. Quæ autem huiusmodi sunt, sunt & notiora nobis vt placet Aristoteli. Nam si in artibus edocendis & scientiis pertra-

ctandis, ea ſunt,omnium conſenſu, principio demonſtranda quæ latius extenduntur, ne fiat vitioſa repetitio, ſitque gradatim à facilioribus ad difficiliora procedendum: ſequitur, opinor, vt generaliora quæ ſunt eadem ſint & notiora, ſed illud ſenſibus quoque noſtris obiicitur: fit enim vt ſi quid eminus intueamur,prius corpus eſſe cognoſcamus, quàm animatũ,& prius animatum quàm hominem intelligamus,priúſque concipiamus hominem eſſe, quàm hunc vel illum,qui eſt infimum aliquid, ac vniuerſale minus.Quòd autem numerus ſit generalior patet, cum ex numeris conſletur harmonia. Et hæc certè ſi ſunt difficilia,nõ carent ſua pulchritudine,de qua hoc loco dicere non ſunt meæ partes.Quid hominis anima præſtantius dici, aut fingi poteſt?Tota eſt ex harmonia,vt vult Plato, cum aliud ſit nihil: quin etiam res omnes atque mundum ipſum rerum omnium domicilium efficit. Sed cum vel doctorum ingenia poſsit vnum illud occupare, non tentabo rem tantam, præſertim cum philoſophiam, ad quam pertinet harmonia, nequidem è veſtibulo ſalutarim. Verùm prout eſt concentus vocis quidam & chordarum: quatenus ab vno de multis poterit, ego dicam,eam ad mores,& vitam humanam transferens.Quod quàm rectè fieri poſſit, docet Plato quarto de Republica, dicens, ὡς ἁρμονίᾳ τινὶ ἡ σωφροσύνη ὁμοιῶται. Diogenes muſicos arguebat inſaniæ, quòd induſtriè neruos pulſarent, & iuxta regulas artis ſuæ concentum
ederent

ederent optimum,ac auribus gratiſsimum: animum vero ſuum ſinerent & incomptum & inornatum, neque aptè,neque bene, quatenus recta ratio docet ac præcipit, componerent: cùm tamen in ea parte cautius elaborandum eſſet. Si quòd lyram recuſarit Themiſtocles habitus eſt indoctior: numquid erit iuris optimi eos nequiores reputare qui nullum in vita & moribus concentum, nullam gratiam, nullam harmoniam prorſus ſibi propoſuerint, imò recuſarint omnem? Si apud Pindarum Pythiorum Ode prima,vim tantam habet Apollinis cythara, vt Iouis fulmina ceſſare faciat: numquid poterit vita bene ſibi conſentiens, morum integritas,atque mentis ſynceritas,iram ſummi Dei & ſedare & omnino auertere? Si poteſt ibidem eadem cythara Martis omnẽ mitigare ſęuitiem: num poterit humanitas homines crudeles, feroces, & immanitate barbaros demulcere? Itaque maxime cauendum eſt in iſto vitæ tãquam præludio, ne quicquam diſſonet,ac aures lædat delicatiores, ſed omnis eſt cõcentus gratia retinenda. At ſi quis ſibi,ſuæque potentiæ,& authoritati quidpiam concedi velit (vt ſolent principes, qui ſibi ſuo iure quidlibet vendicare poſſe videntur) audiat nos. Iulia nouerca Caracallæ inceſtum cum ipſa anhelantis, neque prę pudore audentis aggredi, ipſi propoſuit, principes eſſe ſui iuris: cum enim ab eo fortè eſſet viſa, paulò nudata inſolentius, exclamauit ardens ſcelarata cupidine, ô ſi liceret: quibus auditis

ſubiecit Iulia, ſi lubet, licet. Tu leges imponis aliis, tibi ipſi non poteris? Cuius verbis fretus Caracalla molitum facinus perpetrauit. Non dubito, itaque quin eorum aliquis qui ſunt in ſummis poteſtatum apicibus collocati, ſibi, atque ſuæ maieſtati tribuat aliquid, neque multum curet harmoniam vitæ. Verùm huic ego reſpondebo, poſſe quidem eum legum, virtutis, atque probitatis limites tranſilire, vt tyrannum, at neutiquam poſſe vt virum bonum: qua ratione, Alexandro Macedoni operam cytharæ nauanti, ſciſcitantíque quid ni tangere liceret hanc vel illam chordam ad libitum, reſpondit cytharœdus, tibi quidem licet quatenus Alexander es, at nequaquam quatenus artifex.

In quemdam amicis exhortationibus refragantem, neque ſibi vitium vllum tribuentem.

SVccenſere ſoles nobis, ſi fortè monemus,
Dum frueris uita, moribus eſſe probis.
Atque rogare ſoles, Quæ ſunt mihi crimina? Noui,
Hæc tibi labes eſt unica, non bonus es.

Veriſsimum quidem illud eſt Platonis, nos ex aliorum peccatis ſapientiores euadere oportere, noſmet ipſos diſcutere, viuendi rationes examinare, vitam omnem in trutina collocare, vitia noſtra cum aliorum delictis conferre, & denique cogitare nos in eadem hæc vitia, in quæ alij

alij inciderunt, impingere poſſe. Hunc enim ἐπ' ἀλλοτρίοις ἁμαρτήμασι, ſe ipſum rogitare ſolitum accepimus, μή που ἄρα καὶ ἔγω τοιοῦτος; ſed nihil profectò vetat quominus amicos poſsimus in ſuis erroribus commonefacere, iíque debent hoc amicè factum arbitrari. Lex enim eſt humanitatis, eos qui ceciderunt attollere. Quare optimè Iuſtinus martyr & philoſophus lib. de Monarchia Dei ait, Φιλανθρώπου γὰρ ἢ μᾶλλον φιλοθέου ἔργον ἐστὶν ὑπομνῆσαι τοὺς ἅπερ ὤφειλον εἰδέναι παραλελοιπότας. Cicero amicos palam eſſe laudandos, clanculum monēdos, ſi officio ſuo ac muneri defuerint, cenſet. Ariſtoteles viri boni non eſſe putat, amicos in peccato ſinere. Sed cum quis ab amico videt ſe perhumanè commonefactum, reſipiſci debet, & patiētem aurem prębere recta monenti, & illi acquieſcere, gratiáſque habere pro tanta humanitate, & clementia. Optimè ait Heſiodus iis verſibus quos adfert Ariſtoteles tertio capite libri primi Ethicorum, cum diſputat de idoneo auditore Philoſophiæ moralis,

Κεῖνος μὲν πανάριστος ὃς εὖ μὲν εἴποντι πίθηται
Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει.

Eraſmus in Latinum ſermonem ſic redegit,

Optimus ille quidem qui paret recta monenti,
Sed probus ille quoque eſt, qui nouerit omnia per ſe.

Quod ſi contingeret vt per ſe noſſent omnes quæ debent, & ſapientiam adimpleret actio, fruſtra eſſent admonitiones: ſed quando nullus poteſt omni vacare culpa, fit, vt vir bonus

nemo

nemo sit qui non pareat rectè monitis.

Optimus est sese qui nouit cuncta magistro,
Ad finem usque uidens quæ semper sunt meliora.
Ille etiam bonus est alium qui recta monentem
Audit, & inuentis ponit uestigia lætus:
At cui consilium sua nec prudentia donat,
Inducitq; animum uoces contemnere ueras,
Is numquam fuerit frugi, sed inutilis orbi.

Ex quibus patet & monendos esse amicos, & monitis esse parendum.

In quẽdam de virtute pręclare differentem, & quæ sunt virtutis contemnentem.

SEmper ab ore fluit, bene uiuere: nec bene uiuis
Inquirens toties uiuere quid bene sit.
Qui bene cuncta facit fugiens mala, uiuere rectè
Fertur, quin facis hoc? cras, ais, incipiam.

Ad Epigramma accedemus si virum syncerum ostenderimus & perinde bonum, qui non est alius ab eo qui bonum facit & declinat à malo,

Quis sit vir bonus depromptum ex Phocilide.

Integer is uitæ sceleris quoque purus habetur,
Qui Veneris luxus fugerit illicitæ.
Humanoq; manet cui non polluta cruore
Dextera, cuiq; dolis splendida uita carens.

Iis duobus hoc quoque ſequens proximè, coniungemus, quo indicatur non opportere tantùm bonum virum apparere, ſed & talem eſſe.

In Hypocritas.

QVos uidet unguentis pallentes turba, uidétque
Geſtantes torulis dogmata ſacra Dei.
Hi referunt ſpecie tumulos ex marmore ſtructos,
Queis ſpecie pulchris ſordidius nihil eſt.

Non intempeſtiuè conſequetur Epigrãma hoc.

De vana gloria.

DVlcia commemoras te blandimenta palato
Guſtaſſe, in molli iure natante cibo:
Cum tamen abſtineas quoties te nemo uocauit,
Nullo te dicis abſtinuiſſe die.

Quanquam vt eſt apud Pindar. in Pyth. Ode 9.

Ἀρεταὶ δ' αἰεὶ μεγάλαι πολύμυθοι.

tamen exercitio potius indigent virtutes, quàm verbis: vnde accuſantur meritò Athenienſes quòd rectum cum teneant, id præſtare nolint: cum tamen magnæ verborum ambages ſtudioſum hominem non efficiant. Verbis virtutem ornare, quid ſit virtus intelligere, quid animi perturbationes, & quàm pernicioſę, pulcherrimum profectò eſt, ſed ea fugere, quibus ſtudioſi prohibentur & ea ſectari, quibus vitium delectatur, & pulchrius & melius iudicari debet: ac vt ait Horatius, dãda eſt opera ne verba virtutẽ

putemus,

putemus, vt lucũ ligna. Nam qua ratione lucus quercubus,cupreſsis,pinis,fraxinis,lauris,corylis,fagis,abietibus,ornis, illicibus, buxis, ſalicibus, platanis,populis, arbutis, & reliquis arboribus non conſtat modo,ſed etiam & religione continetur, quéadmodum quoque domus non parietibus tantùm , ſed ſupellectile : ſic non ex cognitione ſolùm & verbis, ſuum accipit ſplendorem virtus, ſed è ſtudioſis actionibus. Ideóq; ſubiiciũtur morali philoſophiæ actiones humanæ,dixítque Tullius idcirco , Virtutis laus omnis in actione conſiſtit. Quanquam certè confert virrutis cognitio,& ſcire oportet quid agamus,ne ſimiles ſimus igni comburenti , & neſcienti ſe cõburere. Si itaque vt vult Horatius,

Virtus eſt uitium fugere,

ſtudioſus videtur eſſe, qui bonum faciens, declinat à malo : Is autem eſt quem aſsignauimus hoc Epigrammate.

Integer is uitæ , &c.

Deſumpto ex Phocilide dicente:

Μήτε γαμοκλοπέειν μήτ' ἀσελγέα κύπριν ὀρίνειν,
Μήτε δόλους ῥάπτειν μήθ' αἵματι χεῖρα μιαίνειν.

Hæc autem vitia vitabit facilè quiſque , ſi nouerit quàm ſit caduca voluptas, & quanta adferat incõmoda,quæ ex ſcelere proficiſcitur. Imprimis,vt ex Horatio patuit,ab omnibus exercitiis honeſtis auocat, vt etiam ſignificat Plutarchus in præceptis ſalubribus.Etenim nõ tot actiones corrumpunt morbi,non ſic de ſpe depellunt homines,vt voluptates , non tot pere-

grinationes

grinationes intermittunt, non tot exercitia οὔτε γὰρ πράξεις, οὔτε ἐλπίδας, οὔτε ἀποδημίας, οὔτε διαγωγὰς αἱ νόσοι τοσαύτας, ὅσας αἱ ἡδοναὶ ἡμῶν ἀφαιροῦνται καὶ διαφθείρουσι. Et quidquid habet iucunditatis voluptas quæ ex vitio percipitur, eſt veluti hamus quo alliciuntur, atque falluntur homines ignari, malorum, quæ ſub illa latent iucunditate. Nam & ipſe amor apud Anacreontē μίκρον ὄφιν reperit latitantem ſub floribus, & læſus eſt. Itaque optimè Horatius,

Nocet empta dolore uoluptas.

De hac re etiam ſequentes verſus fecimus aliquando:

Si quid agas ex quo ſuccedat praua uoluptas,
Illa fugit, remanet (debita pœna) pudor.
Rectè ſi quid agas multos patiendo labores,
Extemplò fugiunt, laus manet atque bonum.

Quamobrem, vt Horatius,

Vis rectè uiuere? quis non?
Si uirtus hoc una poteſt dare, fortis omißis
Hoc age delitiis.

Sed in hoc negotio multæ ſunt cautiones adhibendæ. Ac imprimis videndum eſt, ne vt monet Aſcræus poëta, differamus vel in craſtinū, vel in plenilunium.

Μὴδ' ἀναβαλλέσθαι ἐς τ' αὔριον, ἐς τ' ἐννῆφιν.

Et Heſiodo reſpondet Horatius,

Dimidium facti qui cœpit habet, ſapere aude,
Incipe, uiuendi qui rectè prorogat horam,
Ruſticus expectat, dum deſluat amnis, at ille
Labitur, & labetur in omne uolubilis æuum.

Atque

Atque hæc quidem ille in Epist.sed aliter 1.carmin.ad Leuconoem,

— Dum loquimur fugerit inuida
Aetas, carpe diem quàm minimum credula postero.

Cur hoc faciendum reddit ratione Anacreon.

— Τρέχει χυλίστης
Τρόχος ἅρματος γὰρ οἷα.

Cui loco similem habet Ouidius,

Tempora labuntur, tacitisq; senescimus annis,
Et fugiunt fræno non remorante dies.

Quid ait Martialis?

Sera nimis uita est crastina, uiue hodie.

Et Lucanus,

— Nocuit differre paratis.

Ratio est ex Ouidio repetenda,

Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Quare si, vt pluribus persequitur Ouid.15.Metamorph.momenta momentis succedunt, & fugiunt, protinus vt accesserunt, Scythas imitari nos oportet, quos dum aliquis persequitur, fugam arripientes, vibrant à tergo sagittas, sicque dum fugiunt vim illatam sibi, propulsare, hostibus terrori esse, ipsos interdum lædere non desinunt. Nos etiã super hac re hoc fecimus Epigramma.

Dum fugiunt Scythæ uibrant post terga sagittas,
Detinet ulla suos nec mora tarda pedes.
Tempora dum fugiunt, operi studeamus honesto,
Vt si prætereant, non malè prætereant.

Atque hęc quidem est prima cautio. Deinde ca-

uendum

uendum eſt ne iudicium hominum fallamus, & falſam gloriam atque laudem nobis vendicemus, cùm non ſimus vlla ratione meriti: nam homines id genus vocantur hypocritæ, vnde monet fugiendas fictas omnes abſtinentias Plutarchus, hoc eſt ἐπιδεικτικὰς καὶ σοφιστικάς. Sed & aliud genus eſt apud eundem hominum qui laudem repetunt ab iis quæ comederunt, & recenſent omnibus, quòd ad omne falſæ gloriæ genus poſſumus accommodare, & in eos potiſsimum qui ipſi iactitant ſuas laudes, quòd quantum diſtet à vera laude & gloria, docet Martialis,

Bella es, nouimus, & puella, uerum eſt,
Et diues, quis enim poteſt negare?
Sed dum te nimium, fabulla, laudas,
Nec diues, neque bella, nec puella, es.

Sed alij non verbis quod faciunt prædicant, ſed quidquid faciũt, id propter laudem faciũt, non puro virtutis amore. Phrinem dicunt eos hoc ſcõmate ſolere excipere, qui ad eam iactationis nomine proficiſcebantur, cum iam eſſet anus, vt diceret eos falernum relinquere, fæcem vt ebiberẽt. Atque hæc ſumma eſt, nos potius in actione virtutis exercere oportere, quàm verbis tantum ſtudioſos eſſe, re minime, quamquam non eſt aſpernandus Socrates, qui cenſet apud Platonem in Apologia pro ipſo, optimos eſſe ſermones qui habentur quotidie de virtute, ſic ille, λέγω δὲ ὅτι καὶ τυγχάνει μέγιστον ἀγαθὸν ἀνθρώπῳ τοῦτο, ἑκάστης ἡμέρας τοὺς λόγους περὶ τῆς ἀρετῆς

ποιεῖσθαι. Sed verbis oportet actiones respondeant. Præterea non parum conducit ad rectam vitæ institutionem suscipiendam, incommoditates sibi obiicere quæ ex scelerum voluptatibus profluunt, & earum breuitatem. Lysimachũ accepimus, siti opressum apud Getas se suósque tradens veluti captiuos postquàm potus aquam, sitim extinxisset, exclamasse, Quantam fœlicitatem amissimus propter voluptaté breuissimam. ὡς βραχείας ἡδονῆς ἕνεκα μεγάλην εὐδαιμονίαν ἀπεβαλλόμην, sed in virtutis expeditione subeunda, non est vnquam differendum ad aliud tempus. Denique in omni recta actione, fugienda est omnis dissimulatio, quam apellant hypocrisim. Non me latet laudem virtutis esse præmium. neque est certe récusanda, vt videtur indicare Persius,

Non ego cum scribo, si forte quid aptius exit,
Quando hæc rara auis est: si quid tamen aptius exit,
Laudari metuam, neque enim mihi cornea fibra est.

Sed neque laudem tamen debemus appetere, Laus enim ab aliis tribui debet non à nobis ipsis. Verùm hoc noster debet animus anhelare, & ad hoc totus ferri, vt ea præstemus quæ sint laude digna, vt enim ait idem Persius,

-- an erit qui uelle recuset
Os populi meruisse, & cedro digna loquutus,
Linquere nec scombros metuentia carmina, nec thus?

Atque hæc satis supérque. Nec est, quando virtus sine labore rara est, quòd quemquam ab instituto deterreat labor. nam vt recte Plutarchus

in

in præceptis ſalubribus, ἑλȣ̃ βίον ἄριςον ἥδυν γὰρ αὐτὸν ἡ συνήθεία ποιήσει.

Spinoſum & obſcurum virtutis domicilium.

Fertur in obſcuris virtus habitare tenebris,
Splendidius Pario marmore tectus honor.
Nec datur iſtius conanti fana ſubire,
Nî ſit & alterius templa ſubiſſe memor.
Lux ſequitur noctem, ſequitur fortuna laborem,
Difficilis cunctis docta Minerua fuit.

In moribus magis elaborandum eſſe quàm in literis.

Peruigil vt ſtudeas non parcis noctibus, inſtar
Vnius eſt lucis, noxq́ue, dieſque tibi.
Laudo equidem: verùm nulla ratione probamus,
Nulla quòd eſt morum ſollicitudo tibi.

Obtinuit prouerbium vt omnia vulgo difficilia pro ſua pulchritudine & neceſsitate eſſent. Arduum itaque virtutis iter, ſpinoſum, obſcurum, difficile & laborioſum, vt indicat Pythagoras, ſed ſplendor ipſius virtutis debet efficere vt ſpretis omnibus, ardeamus illius deſiderio: nam omne tædium aliquando leuabitur, & finem adferet laboribus fœlicitas. Difficilis quanquam ad virtutem aditus, vt rectè monet Heſiodus,

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι. μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτήν

Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον. ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται
Ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει χαλεπήπερ ἐοῦσα.

Tamen eius introitu nemo prohibetur, & labores ſumpti iucundi ſunt poſt virtutis adeptionem: in qua aſſequenda tantum eſt difficultatis, quantum quiſque collocat. Præterea, vt ait Horatius,

Quis circum pagos, & circum compita pugnax,
Magna coronari contendat olympia? cui ſpes?
Cui ſit conditio dulcis ſine puluere palmæ?

Impiger agricola fodit, arat, alget, ſudat. Strenuus & aſsiduus ſuum incumbit ad opus, vt tandem fructus recipiat laborum ſuorum ampliſsimos. Roſam veris delicias vepris obſitam vndique quis ignorat? De hac audiamus Anacreontem,

— ῥόδον θερίννον
Χάρμεν φυτόν τέ μουσῶν
Γλυκὺ καὶ ποιοῦντα πεῖραν
Ἐν ἀκανθίναις ἀταρποῖς
Γλυκὺ δ' αὖ λαβόντα θάλπειν
Μαλαχαῖσι χερσὶ κουφαῖς.

Caſtaneam quoque quis enucleauit illæſis manibus? Natura nucis corticem primum effecit amarum, ſed nucem ipſam dulcem, vt verum ſit illud Ouidij,

Dulcia non meruit, qui non guſtauit amara.

Et qua ratione nulla remedia tam faciunt dolorem, quàm quæ ſunt ſalutaria: ſic nihil tam difficile eſt aditu, quàm quod in ſe venuſtatis aliquid, pulchritudinis aut neceſsitatis includit.

Ac vt ait Georgic.1.Virgil.

— pater ipſe colendi,
Haud facilem eſſe uiam uoluit:

Et paulò pòſt,

Sed tamen eſt gratiſsima meſsis,

Et laboris obliuionē inducit: ſin retinetur, memoria, dulcior illa eſt, quàm labores fuerant ante meſſem difficiles, eos itaque Pindarus vocat εὔφρονας. Æneas apud Virgilium, vt ſuis tædium leuet, ob multos iam labores exantlatos fatigatis, hanc conſolationem adhibet,

— quondam meminiſſe iuuabit,

Sed non minus ad hoc argumentum faciunt Honeſti verba, quàm Heſiodi, hic de virtute, ille de Muſis loquitur,

Ἀμβαίνων Ἑλικῶνα μέγαν, καμὲς. ἀλλ' ἐκορέσθης
Πηγαζίδος κρήνης νεκταρέων λιβάδων:
Οὕτω καὶ σοφίης πόνος ὄρθιος, ἣν δ' ἀρ ἐπ' ἄκρον
Τέρμα μόλῃς ἀρύσῃ Πιερίδων χάριτας.

Verumtamē cum ſint labores multi perferendi in hac vita, plerique ludunt operam, qui cruciantur inſudantes rebus malis: at ſatius eſſet feriari. Multi quoque vehementer errant, qui non in rebus quidem inutilibus operam & labores collocant, ſed magis neceſſarias penitus deſertas eſſe patiuntur, vt ij ſolent qui literis incumbentes curam de moribus nullam gerunt, ſed vnus è poëtis. Horatius optimè videtur ſic monuiſſe,

Syncerum niſi uas, quodcunque infundis, aceſsit.

Fieri enim quî poteſt, vt qui virtuti non ſtudue-

rit è veſtibulo dumtaxat poſsit humanitatē ſalutare? Rectè Solomon in Prouerbiis ait, In animam maleuolam non intrabit ſapiētia: quem ſequitur vnus è profanis Seneca, Mens ſine Deo nulla bona eſt. Cicero de Offic. eam ſcientiam quę vitæ ſanctimonia, & morum integritate decorata non ſit, aſtutiam nominat. Habemus igitur virtuti potiſsimum inſudandum eſſe.

Probum neminem fieri diuitem citò.

INteger eſſe cupis uitæ, talisq; uideri,
Et fias locuples qua ratione petis.
Moribus integris ſi quæris degere ſemper,
Non fies modico tempore, Petre, potens.

Quoniam vt iam dictum eſt, quæ pulchra ſunt, ſunt & difficilia, profectò diuitias qui non habet, nemo ſine laboribus ſibi comparabit, qui caſtè gerere ſe voluerit, & iuſtè viuere, & ſerò propterea diteſcet, vt patet ex illo verſu Menandri quem citas in variis tuis lectionibus,

Οὐδεὶς ἐπλούτησε δίκαιος ὤν.

Sed alia ratio eſſe poteſt, nempe quia Deus ſolet malos & impios pluribus fœlicitatibus in hac vita cumulare, quàm iuſtos: vnde poſſet iniuſtitiam in Deo quiſpiam arguere, aut nullum potius eſſe Deum, quia ſi eſt (vt reuera vnus eſt) iniuſtus eſſe non poteſt. Quare ſic ludit Martialis in Cœlium,

Nullos eſſe Deos, inane cœlum
Affirmat Cœlius, probatq;, quod ſe
Factum, dum negat hæc, uidet beatum.

Chremi

Chremilus,apud Ariſtophanem in Pluto, queritur ſe pauperem eſſe cùm ſit iuſtus, Rhetores verò qui æquum pariter defendunt, & iniquũ, ſycophantæ, ſacrilegi, & mali denique omnes: vt breui tempore locupletes poſsint fieri ſuſpicit, neque rem pernoſcit. Bonis quidem ſi malum impertitur Deus, neque etiam erga illos parcus eſt bonorum ſuorum. Nam vt ait Hom. κακῶν τε ἀγαθῶν τε τετύκται. Homerũ cœcum eſſe dij voluerunt,ſed eius mentem excoluerũt: tamen accidit vt plurimum, vt pluribus afficiantur malis viri iuſti,vt patet cum ex Sophocle de Deo loquente,

Οὗτος ἐξ ἀγαθοῖο κακὸν ἀνθρώποις δίδωσι.

Tum etiam ex duobus doliis, quorum alterum malis,alterum bonis eſt refertum, Iliados λ.ſed propterea non eſt quod boni & iuſti de ſpe cadant, & deprimant ſeſe: mali enim, vt ait Claudianus,

— Tolluntur in altum,
Vt lapſu grauiore ruant.

Ac iniuſtitiæ ſuę pœnas luent, ſumetúrque ſupplicium aliquãdo. δίκη enim, ait Diuus Gregorius, eſt ὀπίσω, & procedit claudo pede, vt vult Horatius, ἄτρεμα καὶ βραδυποδὴ, vt Euripides dicit.

Diligentia & pigritia.

OCeanum ſurgens ſimul ac aurora relinquit,
Et ſplendore fugat ſydera clara ſuo.

A tergo insistit uirgo quæ rumpere somnos
Tendit, & est facie conspicienda macra
Crassáq;, quæ suadet somnos à fronte uirago
Sistit, & eneruat membra reposta thoro.
In medium dormire diem lentóq; ueterno
Gaudet, at illa thoro membra sepulta leuat.
Obiiciens auium cantus, & murmura palmæ
Artificis, spreto cogit abire thoro.

Sequentem fabellam vnus ex meis condiscipulis, quam se alicubi legisse prædicabat, mihi recensuit. Aureliis studebant quondam adolescentes duo: quorum alter cum sodalem inuiseret hora matutina, & plus solito desidiosum reperisset, (quamuis omnis aberat desidia) atque adhuc inter penulas (quod aiunt) cœpit illius pigritiam iocosè (vt solent scholastici curis omnibus vacui interdum iocari) cœpit inquã, exprobrare, sed responsionem, vel pigritiæ potius excusationem accepit, non minus subtilẽ, quàm dignam quæ à tam fœlici promanaret ingenio. Ego equidem, subiecit, volebam iam dudum expergefactus penulas relinquere, & exilire lecto, πῶλος ὡς ἀπὸ ζύγου, vt ait Euripides, sed accipe quid mihi contigerit. Hinc hodie macerata quædam virgo apparuit, (atque dextram partem indicabat) quæ rumpebat somnos, illinc carnosa virago (& habebat admotam manum, ad latus sinistrum) quæ veternum inducebat, & iterum deprimebat me, simul eripiebat illa lecto. Itaque culpa nulla est mea, vi enim maiori cedere oportuit. Atque sub earum personis pi-

gritiam & diligentiam occultabat. Sequenti nocte (vt ſolemus ea repetere & mente voluere de quibus cogitauimus interdiu) contigit vt neſcio quid irruptũ & diſturbatum ſomniauerim de iſta fabella, quam acceperam die ſuperiore. Mane autem excitatus à mortis imagine, tacitus apud me dixi, ſicut vult Homerus,

—ὄναρ ἐκ διός ἐστι.

Dignum certè eſt ſomnium iſtud vt ſcriptis mandetur, tunc & venit in mentem Luciani ſomnium huic vno perſimile, de ſtatuaria & humanitate, ſumque factus paulò ad facinus audacior, & calami cuſpidem ad pingendum adaptaui, ſcripſique, ſed non eo quo renunciatum fuerat modo, fecíque, vt diligentia victoriam reportaret, & cantibus auium excitatus, ſtreperíſque manibus artificum, ad ſolitas actiones redirem. Superatum enim me fateor à Demoſtenis diligentia, & aſsiduitate Terentiani illius excrucian tis ſeſe, de quorũ altero ſic Cicero quarta Tuſc. Cui non ſunt auditæ Demoſthenis vigiliæ? qui dolere ſe aiebat, ſi quando opificum antelucana victus eſſet induſtria. De hoc alio Chremes apud Terentium,

Nunquam tam mane egredior, neque tam ueſperi
Domum reuertor, quin te in fundo conſpicer,
Fodere, aut arare, aut aliquid ferre: denique
Nullum remittis tempus,, neque te reſpicis.

Stemmata florentiſsimi Galliarum imperij, & almæ ſtudioſorum omnium nutricis academiæ Pariſienſis.

COnſtituunt noſtri tria lilia ſtemmata regni:
Quorum bufo tumens ceſſerat ante loco.
Adde manum librum præbentem, academia ſumit
Stemmata percelebri nomine digna ſuo.
Eligat ille roſas, uiolas, ſic ut libet, ecce
Cur inter flores lilia ſola placent.

Quanquam neque valde latus eſt iſte campus, neque ſuper hac re quidpiam dicere mearum eſt partium: tamen quandoquidem res honeſtatis terminos non excedit, nemini ad obiurgandum cauſæ ſatis eſſe poteſt ſi quippiam dixerimus. Ergo ad illud ad quod tendimus accedamus. Id ipſum autem Epigramma ſuperius continebat bufonem, ſcilicet, olim ſtemmata conſtituiſſe ſplendidiſsimi iſtius regni, quod glorioſum certè fuit, vt nunc eſt, ſed gloriæ quidquid habuit, vanitas fuit potius, vt indicat bufo qui ſolet intumeſcere. Verùm ex quo Chriſtiana religio Galliam inuaſit, tumorem, hoc eſt, vanitatem omnem Galli deſeruerunt, & ſtemmata cælitùs & diuinitùs mutata ſunt, (vt fama eſt) atque ad regni gloriam acceſsit flos ſiue decus: factúmque eſt hoc regnum & glorioſum & ſplendidũ & florens, vt lilia denotant: quæ ſi cum exterarum nationum ſtemmatis cõferre volumus, ne-

ſcio

ſcio quid magnificentius, & ſplendidius præ ſe ferunt. Quid opus eſt illa conferre cum ſtemmatis Lotharingorum, Sabaudorum, Burgundionum Mediolanenſiũ? Quid cum ſignis Luſitaniæ ſeu Portugalliæ vexilla Gallica comparem, cùm Portugallia ad Gallos pertinere videatur, ſitque à notatione portus Galliæ? Quid Anglos appellem, quorum reges antiquitatis memoria perhibentur noſtrorum regum vaſſalli habiti, & eoſdem quotannis genibus flexis coluiſſe, fidémq; promiſiſſe? Quid Heluetios, qui Franciæ regum ſunt miniſtri? Quid Sarmatas, nunc Polonos, qui ſua ſponte Henrici tertij imperium ſubierunt? Quid Hiſpanos, cùm eorum non dicam ſtemmata, ſed eos ipſos Gallis cedere debere decretum ſit & ſancitum? Quod ſiquis inficiabitur, acta eſt eorum cauſa Venetiis, & ita acta vt vadimonium deſeruerint præ pudore, quanquam pudere neminem debet, locum cedere digniori. Itaque optimè Baldus iureconſultus Gallos ait reges coronam geſtare gloriæ. Ego & illud addam, ſceptrum ſolos geſtitare florens, quod ſignificatur lilio florente ipſi adiuncto. Quamobrem ſi facienda regis Franciæ collatio eſt cum exteris, cùm Imperatore facienda eſt, cuius ſtemmata (quandoquidem de ſtemmatis tota diſputatio eſt) cedunt. Aquilas ſurſum volare ſuſpicio, ſed id ſapientem hominem quomodò deceat non video, floreſcere ſpecto lilia, neque id ab homine ſapiente alienũ eſt, cui virtus maximè congruit, quæ floret omni tempore,

re. Præterea volet in altum quantumuis aquila, tamen auiculæ maximè omnium exiguæ prudentia (si in brutis esse potest) superata est. Denique aues illæ quæ sunt τριόρχεες, vt sunt libidinosæ, quid possunt præter libidinem denotare? Lilia quoque rectè tribuuntur academiæ Parisiensi quòd præ cæteris semper floruerit, adhibetúrque manus quæ librum porrigat, in eâ enim cuique literæ porriguntur, offertur humanitas cuiuis, (vt facilè, quamuis ait Horatius,

-- *Nihil inuita facies dicésue Minerua,*)

vel nolenti liceat in literis processus facere, auditis dũtaxat doctis & sapiẽtibus professoribus Grámaticis, rethoricis, dialecticis, Philosophis, Theologis, Latinis, Græcis, Hebraicis, qui ibi tanquam ex equo Troiano affluunt. Ibi Platonis academia, ibi Licæum Aristotelis, ibi Synosarges Antistenis, Zenonis ibi Stoa conspicitur. Denique migrasse videntur ad Lutetiam Athenæ, & iure. Nam erat profectò dignum vt ibi firmis defixæ essent radicibus literæ, vbi virtus rerum potiebatur: quam cum eruditione nexu quodam copulare, quanto sit splendori ac emolumento, docuit Parisiẽses ciues Ludouicus nonus relatus inter cœlicolas, profectis in Angliã Scholast. vnà cũ professoribus, & ab Anglo rege conuocatis. Tribuitur verò Galliç regi sacrata maiestas, sed id virtutem & literas præstitisse puto, ac amplitudinem tanti tituli non aliunde tributam coniicio: virtus enim & literę, accuratè, diligenter & exactè in suo exercentur regno,

gno, quæ genuerunt honorem & reuerentiam: nam excitant incredibiles amores sui, & illis proinde magnus defertur honos, coluntur, obseruantur, reuerentur. Honos autem & reuerentia maiestatem procrearunt, dicente Ouid. Fast. sexto,

— Honor placidóque decens reuerentia uultu
Corpora legitimis imposuere thoris,
Hinc sata maiestas.

Mœnia non constituere ciuitates.

Cvm sit metropolis regni Lutetia, *quì fit,*
Cincta perexiguis mœnibus ut sit? Habe.
Non septa est muris, non est circundata uallis,
Vallorum uirtus prodit at ipsa loco.

Vehementer errant qui ciuitatem mœnibus dũtaxat constare volunt, quinimo potest absque muris perstare; vrbs quidem nõ potest, opinor, quam dici volunt Grammatici ab orbe, qui fieri solebat ante murorum constructionem, eúmque fieri solitum ex multis locis manifestũ est, ac potissimum ex 5. Æneid.

Interea Aeneas urbem designat aratro,
Sortitúrque domos. Hoc *Ilium, & hæc loca* Troiæ
Esse iubet.

Atque hoc discrimen est inter vrbem & ciuitatem: cuius ignoratio damnum haud mediocre Carthaginiensibus intulit: hanc enim gratiam à Romanis cum poposcissent, ne ciuitas eorum detrimentum vllum pateretur, idque adeò impetrassent,

petrassent, Scipio ad Carthaginem delendam legatus est, ob portus opportunitaté, Romanis cœperunt fidei corruptionem obiurgare: at inquit Scipio, abite hinc vos, & facultates integras hinc auferte, ac aliò commigrate. Ciuitas enim non constat mœnibus, sed ciuium inter se communione & eorũdem facultatibus quas si reliquerimus intactas, fidẽ nulla ratione violasse videbimur, cùm id tantùm à nobis postulaueritis. Præterea rogatus Agesilaus, cur Sparta muris percincta non esset, respondit ciuium bene congruentium inter se virtutem ad vrbis defensionem & sui tuitionem sufficere.

In mortuos deplorantem.

PLangis tot ciues quos funere mersit acerbo
Pestis, & innocuos quos tulit atra dies.
Amplius haud lacrymas tenebrosis manibus adde,
Ast iis quos tota nox manet una die.

Demortuos non est quod pluribus verbis non esse lugendos complectar. Nam si lugendi sunt, certè quia sunt miseri, neque hanc disputationem adoriar, quando copiosè satis 1. Tuscul. de hac re disceptat Tullius, sed lugendi potius sunt qui mortem metuunt, siquidem ij sunt miseri, si vt placet Stoicis, sapientes sunt soli beati. Etenim quoniam perturbatio in sapientem non cadit, ne, vt metuat quidem cadit. De morte non contemnenda multa Cicero, sed tamẽ hoc loco non est prætereundum Socratis iudicium, qui

qui cẽſet homines id genus, quibus mors timorẽ incutit eſſe ſuperbos admodũ & audaces, ac ſibi ſupra vires tribuere, quippe putãt ſe de hac re poſſe iudicium ferre, quam minimè norunt, neq; enim experti ſunt, malúmne ſit mors, cùm ita iudicent. Quamobrem lugendi potius ſunt, quàm ij qui vitam exalarunt, qui neque metuere, neque quicquam ſupra vires ſibi vendicare, nec affici vlla perturbatione poſſunt, nec eſſe proinde miſeri. Concludamus igitur cum Lucilio,

Τοὺς καταλείψαντας γλυκερὸν φάος οὐκ ἔτι θρήνω
Τοὺς δ' ἐπὶ προσδοκίη ζῶντας ἀεὶ θανάτου.

In quemdam ædificatorem.

Ædificas ſemper, mutaſq; quod antè peractum,
Abſoluis nunquam: qua ratione facis?
Vt libet ædifices, dignum cenſoris habetur,
Aedibus in tantis lauta culina deeſt.

Hæc alia Epigrammata coniungemus iſti.

Sui quiſque curam gerat potius quàm ſuarum rerum.

Omnibus es ſapiens, quòd res fœliciter, aiunt,
Noris ad euentus ducere rite tuas:
At mihi non item, ſapientem dicere nolim,
Ni tua dum curas ſis memor ipſe tui.

Animę maiorem gerendam esse curam quàm corporis.

Cvi quàm telorum maior sit cura pharetræ?
Sic præ corporibus ponere disce animas.

Corpus veluti thecam & pharetram animæ.

Cernis ut iniectis infletur theca sagittis
Cera, sublatis, mollior illa fiet:
Sic anima, corpus, remanente in corpore, uiuit.
Tollitur? orbatum sensibus illud erit.

In rebus agẽdis videndum est ante omnia quid maximè sit necessarium, & id docet Socrates apud Plutarchum de sanitate tuenda, qui simpliciter non interdicit bellariis, non interdicit sumine, boletis siue fungis Italicis, placenta samia, & niue in Ægypto: sed dulcia vult & suauia, non quatenus talia sunt, sed quatenus nutriunt, sustentant, & ita sunt necessaria, sumi: nam vt vult Plutarchus, cibus est tantum naturæ iucundus, prout est pars nutrientis. τὸ γὰρ ἡδὺ τῇ φύσει μέχρις ἂν ἡ μέρος τοῦ τρέφοντος οἰκεῖον ἐστὶ. Atque illa quidem iucunditas esse non potest inutilis coniuncta, sociatáque cum necessitate. Ideóque quoniam, & prodesse volunt & delectare poëtæ, non carent sua laude. Estque citius omnis iucunditas tollenda funditus, quàm tantillum vtilitatis deperdamus. Quare rectè faciunt, opinor, qui τὰ θεώρικα conferunt πρὸς τὰ στρατιώτικα: tantóque melius quanto deterius

rius ædificatores qui magna & ſuperba conſtruunt ædificia,rebus aliis detrahunt, ſibi ipſis furantur, & ſemetipſos fallunt, vt ædificium aliquod peragant,curantque totum corpus ædificij præterquam culinam,cuius curam maximè gerere deberēt: non enim ſi totam ædificij molem, ſtruem,artémque ſpectaueris,ita ſatiaberis vt in culina, aut ex eis quæ ex culina prodeunt. Atque iis ſimiles ſunt, qui ſi quos excipiendos habent,menſam auro & gemmis ornant potius quàm dapibus, quod relictis hiſtoriis Martiali tædium adfert, Epigrammate in Varum, docétque,quod volumus,magis neceſſaria magis curari debere.

Ad cœnam nuper Varus me fortè uocauit,
Ornatus, diues, paruula coma fuit,
Auro non dapibus oneratur menſa, miniſtri
Apponunt oculis plurima, pauca gulæ.
Tunc ego,non oculos ,ſed uentrem paſcere ueni,
Aut appone dapes, Vare, uel aufer opes.

Quando verò incidimus in ædificatores, eos Horatius ſic arguit inconſtantiæ,

Nullus in orbe locus Baiis prælucet amœniis.
Si dixit diues, latus & mare ſentit amorem
Feſtinantis heri: cui ſi uitioſa libido
Fecerit auſpicium cras ferramenta Theanum
Tolletis fabri, Et paulò pòſt,
Quo teneam uultus mutantem Prothea nodo,
Quod petiit ſpernit, repetit quod nuper omiſit,
Aeſtuat, & toto diſconuenit ordine uitæ,
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Ac ratio cur ædificatores culinam plerunque in ſuis ædificiis (quam parietibus non tantùm conſtare volumus) non collocent, eſt quia æs deficit, vt plurimum: neque enim vlla vis auri tanta eſſe poteſt, quam ædificandi cupiditas nõ deuoret. Quare Gellius apud Martialem aliam excuſationem non adfert rogantibus à ſe pecunias quàm quod ædificet : ſupponit enim omnes hoc tenere pro certo : nempe ædificatores crumenam exhauſtam habere. Quod non poſſum non inter mala, quæ vulgò accidunt, enumerare, cum Horatius nummis refertã burſam inter bona recenſeat,

Quid uoueat dulci nutricula maius alumno,
Quàm ſapere & fari poſsit quæ ſentiat, & cui
Gratia, fama, ualetudo, contingat abundè,
Et mundus uictus, non deficiente crumena?

Sic autem Martialis de Gellio,

Gellius ædificat ſemper, modo limina ponit,
Nunc foribus claues aptat, emitq́;, ſeras.
Nunc has, nunc illas mutat reficitq́; feneſtras,
Dum tamen ædificet quidlibet, ille facit
Oranti nummos ut dicere poßit amico
Vnum illud uerbum Gellius, ædifico.

Atque ære deficiente, fide opus eſt, quæ certè plena eſt incommodorum: itaque & nos ſequẽs hoc Epigramma huic loco viſum accommodatiſsimum alibi locare noluimus neque ſuperius neque inferius.

Non

Non oportere ſuas pecunias temere credere, & alienæ fidei committere.

Ne credas, moneo, licet rogatus,
Nummos. Ille nocet ſibi alteriq́;,
Qui credit, caueas, faceſsis illi
Curas, nec frueris tuis moleſtus.

Rectè Palladas primum ait eſſe bonũ nõ eſſe in alieno ære. Et hæc omnia cum aliis multis malis cum ſint in ædificatoribus, optimè dictũ eſt,

Σώματα πολλὰ τρέφειν καὶ δώματα πολλ' ἀνεγείρειν
Ἀτραπὸς εἰς πενίην ἐστὶν ἑτοιμοτάτη.

Quod P. Ronſardus & Nicol. Borbonius Vandoperani tranſtulerunt, ille in Gallicum, hic in Latinum ſermonem ſic,

Aedificare domos multas, & paſcere multos,
Hoc ad egeſtatem perbreue ducit iter.

Alterum genus eorum qui magis neceſſaria negligunt, eſt eorum hominum qui facultates ſuas pluris faciunt quàm ſe ipſos, & calceos pluris quàm pedes. Quod quàm ſit ridiculum, dici non poteſt. Locus eſt in apologia Platonis pro Socrate, huic accommodatiſsimus, vbi Socrates ſic Athenienſes videtur alloqui, Magnum haud dubiè, videbor in vos beneficium & mirificam gratiam contuliſſe, ſi vobis perſuaſero, ſingulos veſtrum prius ſui curam gerere opportere quàm rerum ſuarum, & prius reipublicæ conſulere quàm rebus quæ ſunt ad rempublicam, ἐνταῦθα οὐκ ᾖα οἷ ἐλθὼν μήτε ὑμῖν, μήτε ἐπ' ἐμαυτῷ μέλλον μηδὲν ὄφελος εἶναι. ἐπὶ δὲ τὸ ἕκαστον ἰὼν εὐεργετεῖν

τὴν μεγίστην εὐεργεσίαν ἐπιχειρῶν ἕκαστον ὑμῖν πείθειν μὴ πρότερον μήτε τῶν ἑαυτοῦ μηδενὸς ἐπιμελεῖσθαι πρὶν ἑαυτοῦ ἐπιμελειθείη ὅπως ὡς βέλτιστος καὶ φρονιμώτατος ἔσοιτο. μήτε τῶν τῆς πολέως, πρὶν αὐτῆς τῆς πολέως, τῶν τε ἄλλων κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον ἐπιμελεῖσθαι. Tertium genus eſt eorum qui parcunt vitæ ſuæ ob hæredes,& parcimoniam,dum putant apprehendere incidunt in ſorditiem , quàm appellant Græci γλισχρότητα. De iis audiamus Horatium.

Parcus ob hæredis curam nimiúmque ſeuerus,
Aßidet inſano.

Quartum genus eſt eorum qui corpus excolunt potius quàm mentem,qui faciunt ac ſi pharetrã quæ ad ſagittarum conſeruationem comparatur, pluris facerent quàm ſagittas:eſt enim mira conformatio inter res iſtas. Anima enim eſt intra corpus, ſed vnum illud intereſt quod ſagittas conſeruat pharetra,corpus animi vires minuit. At ſi rem voluerimus propius intueri, nihil prorſus intereſt:qua enim ratione,ſagittæ vibrari non poſſunt, niſi promantur è pharetra: ſic animus hoſce corporis ergaſtulo præpeditus non vacat (aut ſaltem non tam bene) contemplationi,quàm ſolutus corpore, & omni liber impedimento. Et pharetra non eſt , neque ſuum exercet munus abſque telis (quamuis omnis abſit relatio , tela enim abſque pharetra eſſe poſſunt) ſic anima ſublata , corpus amplius non agit, à qua agere poſſe recipiebat , vt pharetra id quod eſt, accipit reſpectu telorum non è reciproco.

Animas

Animas non quiescere vnquam.

SI mea fortè caput sustentat palmula fessum,
Qui sic esse potes desidiosus? ais.
Hac mihi ludendus tantùm ratione uideris,
Quòd censes animas posse quiete capi.

Quemadmodum dicebat Africanus se nũquam magis solum, quàm cum solus esset, sic est de studiosis & literaris hominibus, qui nunquam minus soli sunt, quàm cum soli, nunquam minus otiosi quàm cum otiosi, nunquam in actione sunt assidui, quàm cum ab omni desistũt opere: quippe semper aliquid moliuntur, & tanquam apud sese factitant, semper aliquid pro sua industria intus struunt, semper aut de virtute meditantur aut de literis, denique nunquam magis exercent sese: quàm cum vacui sunt ab excerciciis quæ patent omnium oculis. Alij verò qui neque studiosi sunt neque literati, quoniam immortalis est animus, neque vnquam quiescere potest, necesse est aliquid mali struant. Vnde & fit quoque vt dormientibns nobis nos cogitationes quædam quasi dispersæ atque dissipatæ exagitent. Quare rectè Psalmista,

Oculi somnum capiant, cor ad te semper uigilet.

Duobus rebus addictum neutri posse meritò satisfacere.

AD cœnam uarias, neque cœno, uocatus in oras
Hinc inuitauit Candidus, inde Petrus.

Et uoluit parere Petro gula nostra roganti,
Ad Petrum propero, Candidus ire uetat.
Te sequar ergo lubens, mi Candide, talia dixi,
Candidus ire iubet, sed Petrus ire uetat.
Me simul ad cœnam, cur inuitastis eundem?
Vna mihi melior cœna duobus erat.

In ore omnium ferè est ille versus Ouidianus,

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Itaque mirum est quod fertur Cæsar decem varias epistolas dictare potuisse, decem variis scribis, vno eodémque tempore, sed quanquam non est alienus hic versus ab instituto, tamen quandoquidem de cœna sermo est, erit accommodatior si dixerimus,

Pluribus intentus minor est ad singula morsus.

Idque iocosè dictum putetur. Non abs re quoque afferetur illud adagium, qui duos sequitur lepores, neutrum capit. estque Nestoris Epigr. cuius exitus rem concludet,

Ἦν δὲ τὶς ἱπέυειν δεδαὼς ἐθέλησιν ἀοιδὴν
Ἀμφοτέρων ἤμαρτε καὶ ἱπποσύνης καὶ ἀοιδῆς.

Medicina pro gula.

Cum uenis ad cœnam, te nulla inuitat orexis,
Nec tibi quæ placeant iura palatus habet.
Est opus impransus maneas, te donec orexis
Incitet, & spreto prandia sume coquo.

Optimum, vt vulgò dicitur, condimentum fames, & cui contigerit, Siculas opinor, nō requiret dapes, sed eo contentus quod apponetur,

ventrem ſatiabit, & explebit ſuum, at cui mens fuerit apertior paulò, non farciet omnino, ſed præparabit ſeſe, & reſeruabit, ad συμπεριφοραν inexcuſabilem, aut ſi non ſenſerit ſe ab amicis viſum iri, ſi nõ ſentiat futuras toto die comeſſationes, & compotationes quas honeſtè nequeat vitare, aliquam partem vacuam ſemper oportet relinquere, vt quando ventum fuerit ad cœnam, ſtomachus non recuſet cibos, qualeſcũque ſint, ne quidem ſi Lacones eos exceperint qui poſtquam ſal & acetum dederunt coquo ſuo, reliquam ſuauitatem, ſpretis aliis condimentis, ab ipſa victima (vt tranſtulit Eraſmus è græco Plutarchi) hoc eſt, opinor, ab ipſo cibo repeti volunt, nec malè: nam ſi τῶ ἡδυσμάτων ἄρισον ἐςὶ τὸ πῦρ. ſi, inquã, vt placet Prodico, ignis eſt condimentorum ſuauiſsimum, quid aliud requiritur, ſi probè concoctus eſt cibus. Itaque ſpernantur cætera condimenta, & proinde coqui reiiciantur exemplo Macedonis Alexandri, qui ſuos omnes abiecit coquos, & coquorum miniſtros, duáſque locauit ancillas, quarum alteri nomen erat νυκτοπορία, quam latinè dixerim nocturnum laborem, vna voce lucubrationem, alteri ὀλιγοσιτία, quam dixerim, ſi verbum fingere liceat, pauciuoram, hæc cœnam, illa parabat prandium: tamen cœnam quæ curabat ſeruiebat liberalius, altera nocebat interdum, nec eſſe poterat aſsidua, hæc nunquam fallebat hominem, eadémque hora quotidie cœnam paratam reperiebat Alexander, & pluribus inſer-

uiebat ſola,quàm omnes antea coqui. Itaque ſola poterat ſuum & alterius ancillæ locum ſufficienter explere. Hanc deſeruit Alexander dum fatis concederet, neque adhuc nacta eſt herum cum quo diuturna fuerit. Locet eā qui voluerit, cum ſit indefeſsi laboris, mercedem exigit exiguam. Sororem habet nomine διαιται, quæ dominum nacta eſt qui medicinā profitetur, eámque viſit aliquando, ſed non multum commoratur ibi, propterea quòd incluſa eſt ſoror, in muſæo medici, neque vnquam reliquas domus latebras perluſtrauit.

Remedium contra gulam.

NEc ſufferre poteſt, ut ais, nec uenter habenis
Paret, ſi capiunt tardius ora cibum.
Lectio detineat te uel ſtructura figuræ,
Vel cane, uel cptyharæ lectra ſonora moue.

Si quando aperta eſt edendi cupiditas, neque adhuc tempus eſt cœnare, monendus eſt venter vt ferat aliquantulum, neque abiiciendus eſt liber præ iracundia, aut potius impatientia, vt quidam faciunt, quod certè negotium non caret difficultate, vt refert Plutarchus ex Catone ἐν ταῖς ὑγιεινοῖς παραγέλμασι: hac ratione tamen quæ ſequetur poſtea, quomodo ſit debellandus venter docet ſi aures non habuerit, neque monitis parere voluerit, ἂν ᾖ ὥσπερ ἐκ δεσμῶν λελυμένη χαλεπὸν ἢ κρῆσαι καὶ φιλονεικεῖν πρὸς γαστέρα τὰ ὦτα μὴ ἔχουσαν; ὡς ἔλεγε Κάτων. Id igitur difficile

ficile eſt, ſed facilè tamen illi qui à cibis animum auerterit, vt Scytha ſolet, qui arcum tendit & neruos, diſſolutum ab ebrietate animum auocans, arcus autem quoniam plerũque deeſt ſtudioſis, neruos, accepta, coniungat cum voce, lyra, vel ſtructuram figuræ alicuius Geometricæ ſuſcipiens, implicetur in ea, & fabricanda & demonſtranda. Hæc verba Plutarchi, qui cenſet iis rationibus cogitationem auocandam à cibis, & cupiditates quæ ſunt aliæ tanquam harpyiæ, fugæ dandas, & à menſa procul remouendas. φιλόλογος δ' ἄρα καὶ φιλόμουσος ἐν καιρῷ δεόμενος βραδυτέρου δείπνου, ἢ τὸ βιβλίον, ἢ λύριον ἢ διάγραμμα οὐ προΐεται τῇ γαστρὶ λεηλατούμενος ἀλλ' ἀποστρέφων συνεχῶς, καὶ μεταφέρων ἐπὶ ταῦτα τὴν διάνοιαν ἀπὸ τῆς τραπέζης, ὥσπερ ἁρπυίας τὰς ὀρέξεις διασοβήσει ταῖς μούσαις, οὐ γὰρ ὁ μὲν σκυθὴς ὅταν πίνῃ πολλάκις ἐφάπτεται τοῦ τόξου καὶ παραψάλλει τὴν νεῦραν ἐκλυόμενον ὑπὸ τῆς μεθῆς ἀνακαλούμενος. Facilè quoque mentem auertet ſi conſiderauerit ingluuiei turpitudinem, & quantum diſpliceat ſuperis, id Palladas perſtringit.

Γαστέρα μισήσειε θεὸς καὶ βρώματα γαστρός.
Εἵνεκα γὰρ τούτων σωφροσυνὴ λυεταί.

Ad quendam qui ſe vltro inuitabat ad cœnam.

Scribis quòd mecum ſis cœnaturus, honeſtè,
Debetur certè gratia magna tibi.
Non quòd propterea tibi cœna negetur, at umbris:

Est tibi, non umbris cœna parata tuis.

Ij qui ad cœnam non inuitati veniunt, cõferuntur ab Atheneo cum apibus & muſcis, quæ non inuitatæ boues pungunt. Cæterum qui ad cœnam veniunt, aut ſponte veniunt, aut alterius alicuius lateri adhærẽt, & latinis vmbræ dicuntur, quia quẽadmodum vmbra adſiſtit corpori, ſic iſti aſsident illi quem ſequuti ſunt, quemadmodum vmbra corpus ſequitur. Et certè vmbræ iſtæ nocent interdum, namque locum tenent, lectum explent, vt nullus ſit vacuus, eſtque aliquando dapis minus quàm oportuiſſet, ob ignorationem numeri conuiuarum. Quare ne fallatur Horatius, Torquatum inuitans ſic ſcribit,

—locus eſt & pluribus umbris.
Tu quotus eſſe uelis reſcribe.

Neque illud ſolùm eſt incõmodum, ſed & alia complura, ſæpè enim excedit numerus cõuiuarum, qui ternarius debet, aut ad ſummũ nouenarius eſſe, vt proceſſus fiat à gratiis ad muſas: etenim, vt vulgò dicitur, nouẽ conuiuium, decem cõuitium. Deinde ſi plures ſint, rumpũtur ſæpè leges quas Horatius vult eſſe cõuiuiorum,

—ne turpe toral, ne ſordida mappa
Corruget nares: ne non & cantharus & lanx
Oſtendat tibi te: ne fidos inter amicos
Sit qui dicta foras eliminet: ut coeat par
Iungaturq; pari.

Quod ad illud quod dictum eſt ſuperius, vmbras videlicet dominum fallere. Lepidum ſtratagema

tagema conuiuale cõmentum à Macedone, non est prætermittendum. Philippus igitur inuitatus ad cœnam à quopiam, accessit vmbrarum magna stipante caterua: cúmq; vidisset eum à quo excipiebatur subirasci, quòd putasset eum paucis comitatum esse venturum, clanculum submisit puerum qui moneret singulos conuiuas vt se reseruarent ad placentam: abstinẽt itaque, fallit eos placenta, quæ non venit, auferuntur interdum fercula, sicque cœnatum est, & multa superfuerunt eduliorum.

Ad Dionysium Poëtam.

Hoc miror, nunquam Dionysius ora resoluit,
Carmina quin uariis concinat ille modis.
Quidquid ait constat numeris, & carmina mirum
Eloquitur quoties immeditata canit.
Scilicet hoc conceßit ei Berecinthius heros,
Manat & hinc ratio nominis orta sui.

In itinere ad musarum conuiuium hanc quæstionem instituimus, & institutam persequuti sumus, eos ne oporteret qui hoc suscipiũt iter vinum potare necessario vt valentes ad properandum & egregiè robusti toto essent itinere, Cratinúmque nominatim appellando confutauimus, qui apud Horatium ait,

Nulla placere diu nec uiuere carmina possunt,
Quæ scribuntur aquæ potoribus,

Et postea,

Vina ferè dulces oluerunt mane camœnæ.

Subiicit

Subiicit deinde alter,

Ennius ipſe pater nunquam niſi potus ad arma
Proſiliit dicenda, forum putealq́; libonis
Mandabo ſiccis, adimam cantare ſeueris.
Hoc ſimul edixit, (ait Horatius)
— non ceſſauere poetæ
Nocturno certare mero putere diurno.

Sed & imitatio iſta peſsima eſt, quippe rectè vitioſam oſtendit, ac docet Horatius hac ratione:

Quid? ſi quis uultu toruo ferus, & pede nudo,
Exiguæq́; togæ, ſimulet textore Catonem,
Virtutémne repræſentet moresq́; Catonis?

Verum eſto, fiat vt nemo niſi bene potus poſsit canere verſus, ſi quid Bacchus impertitur poëtis, furorem immittit ſuum: nam & poëſis & vinum furores ſunt: illa quidem, vnde tritum eſt poëtas diuino quodam furore corripi, eóſq; ideo vocat Plato ἐνθουσιάζοντας. Vinum autem quòd furentes efficiat, docet Anacreon,

Πιεῖν πιεῖν ἄμυςι
Θέλω, θέλω μανῆναι.

Prɛterea poteſt vinum poëtis amabile eſſe quod auget prudentiam, vnde collocabantur in vno eodémque templo Pallas atque Dionyſius. Eodémque argumento, dicit Athenæus libro 10. τῶν δυπνοσοφιςῶν, Neſtoris poculum fuiſſe celebratum tanquam ſcutum Achillis. Nam aliter non militabat Neſtor cum poculo, quàm Achilles cum clypeo. Quare Hector homo Troianus, illius poculum Martis phialam eſſe dicebat, cuius gloria cælum contingeret.

Ratio fugandæ curæ.

ARrepta fertur cythara ſoluiſſe fugare
Eacides curas, pergraue mentis onus.
Si tibi pulſandi non ſit conceſſa facultas,
Curas permolli diſce fugare mero.

Duo ſunt quæ ad animum ſedādum non parum valent, lyra videlicet & vinū. Achilles apud Homerum non ſolet alia ratione ſuos animos mitigare, quàm beneficio muſicæ. Habetúrque in ſacris literis malum genium ſedatum aliquando fuiſſe, ad ſolum cytharæ pulſum & auditum. Sed cui denegetur ars pulſandi per imperitiam, ad vinum confugiat, quod vulgò dicitur λυσίφρονος οἶνος καὶ εὔφρονος, ſoluit enim mentem & exhilarat. Idcirco Virgil.

Adſit lætitiæ Bacchus dator,

& Anacreon,

Ὅταν πίνω τὸν οἶνον
Εὕδουσιν αἱ μερίμναι. Et alibi,
Σὺν τῷ δὲ πίνειν ἡμῖν
Εὕδουσιν αἱ μερίμναι. Tum etiam,
Ὅταν δὲ βάκχος εἰσέλθῃ
Εὕδουσιν αἱ μερίμναι.

Neque id tacuit Horatius inter ebrietatis proprietates, quarum prima quam tradit, talis eſt (ſingulas enim diſcutiemus, donec ad eam quā volumus acceſſerimus,)

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit.

Quare vetus eſt παροιμία apud Græcos ἐν τῷ οἴνῳ ἀλήθεια, & veteres Germani de rebus ſeriis, & ad

ad rempublicam ſpectantibus ſolebant delibe-rationes ſuſcipere, vt ſua liberius quiſque ſen-ſa promeret,& omnium ſententiæ magis pate-fierent. Horatius,

Spes iubet eſſe ratas,in prælia trudit inermem,
Sollicitis animis onus eximit.

Sic itaque author idem Plancum admonet,

Albus vt obſcuro detergit nubila cœlo
Sæpè Notus, neque parturit imbres
Perpetuos,ſic tu ſapiens finire memento
Triſtitiam, vitáq; labores
Molli Plance mero:

Et alibi,

Siccis omnia dura Deus propoſuit
Neque mordaces aliter diffugiunt,
Sollicitudines.

Et paulò pòſt,

Teucer Salamina patrémque,
Cum fugeret: tamen vda Lieo
Tempora populea fertur vinxiſſe corona,
Sic triſtes affatus amicos,
Quò nos cúmque feret melior fortuna parente
Ibimus, ô ſocij, comitéſque.
Nil deſperandum Teucro duce & auſpice Teucro,
Certus enim promiſit Apollo
Ambiguam tellure noua Salamina futuram
O fortes peioráq; paſsi
Mecum ſæpè viri,nunc vino pellite curas,
Cras ingens iterabimus æquor.

Quamobrem cum ex ſuperiori Epigrammate pateat vino prudentiam adaugeri, & acumen

ingenij

ingenij, ac habeamus in præſentia vinum curas propellere, fit vt vinum (mediocriter ſumptum intelligo) non dedeceat eos qui dant operam literis. Quocirca non eſt alienum id apponere quod refert Syluius Æneas. Nam rei feſtiuitas ad delectationem, & ſubtilitas ad acumen, & vtilitatem proderit. Leonardus Felſſechic Saxonius, cum conſobrinũ ſuum aliquem viſeret ſcholaſticũ in academia quadam Saxonica, rogarétque an bene tempus appoſuiſſet, & an condiſcipulos ſuos excederet doctrina, reſpondit quidam pro eo de condiſcipulis, quòd ita eſſet, propterea (reſpõdit) quòd ex mille & quingentis nullum ſibi parem habet in potando. Appoſitè autem hoc loco diceretur cur vinum mentem exhilaret: cui rei cauſam ſuggerit ſanguinis bonitas quam efficit vinum bonum, ex qua conſurgit ſpirituum multitudo mentem exhilarantium.

Vino moderatè vtendum eſſe.

Debita dum Cereri ſoluuntur ſacra benigna,
Vt libet, hîc fruges mandere cuique licet.
Cur tibi, Bacche pater, dum fiunt ſacra, Falernum
Fundere corporibus creditur eſſe nefas?

In omnibus medium iucundiſsimum eſſe.

Conſtantes odi Stoicos nimiúmque ſeueros,
Qui referunt truncos, ſaxáque non homines.

Se

Se ſapiens hominem præſtat, ſapientibus vnum
Hoc placet, in toto pectore μηδὲν ἄγαν.

In omnibus rebus ſpectanda eſt mediocritas, Quare hoc eſt, cur Terentius laudabat ne quid nimis, Plutarchus μηδὲν ἄγαν. & Phocilides τὸ μέσον, ſed & id quoque cõmonſtrat Martialis duobus Epigrãmatibus, primò quidem hoc pacto, in Pannicum,

Pectere te nolo, ſed nec turbare capillos,
Splendida ſit nolo, ſordida nolo cutis.
Nec tibi mitrarum, nec ſit tibi barba reorum,
Nolo mirum nimium, Pannice, nolo parum.

Et ſic alibi ad Flaccnm,

Qualem Flacce velim, quæris, nolimve puellam:
Nolo nimis facilem, difficilémque nimis.
Illud quod mediũ eſt, atq; inter vtrũque probamus,
Nec volo quod cruciat: nec volo quod ſatiat.

Quamobrem certè reprehendendi ſunt Stoici, qui volunt plus ſapere, quàm humanitas ferre poſsit, & ſe reddunt ſimiles truncis & ſaxis, quę nihil neque ſentiunt, neque ad rem vllam permouentur, ſed meminerint humanitatis ſuæ, & conſiderent quod (vt Plato refert ex Homero) quod non à pino, nõ à petra, ſed ab hominum genere ortum ducunt, ſic Homerus,

οὐδ' ἀπὸ δρυός οὐδ' ἀπὸ πέτρης,
ἀλλ' ἐξ ἀνθρώπων πεφύκαμεν.

Alibi de hac re plura diximus, ſed neque illud prætereundum eſt. Athenas aduentante Pompeio, Athenienſes ſcripſerunt in interiore vrbis porta Pompeium viſum fuiſſe tanquam de cœlo delapſum, & eo maximè diis immortalibus

ſimilem

milem quòd se hominem esse meminisset. Hoc igitur habemus contra Stoicos:sed cum in omnibus medium seruandum est, tum in vino maximè, idcirco instituta sunt sacra Baccho quæ νηφάλια dicta sunt, quòd nefas putaretur ibi vinum propinare, vt quisque doctus euaderet tempore & loco à vino esse temperandum. Ac cum Horatius bibendum suadet, modum curat,

At ne quis modici transiliat pocula liberi
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata: monet Sithoniis non leuis euius,
Cum fas atque nefas exiguo fine libidinum
Discernunt auidi. Non ego te Candide Bassaren
Inuitum quatiam: nec variis obsita frondibus
Sub dium rapiam, sæua tene cum Berecinthio
Cornu tympana quæ subsequitur cœcus amor sui,
Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem
Arcanique fides prodiga perlucidior vitro.

Sed audiamus & Theognidem,

Οἶνος πινόμενος πόλυς κακὸς, ἢν δέ τὶς αὐτον
Πίνει ἐπιστάμενος, οὐ κακὸς, ἀλλ' ἀγαθὸς.

Quos versus sic Latinos feci,

Vina iuuant, rectum si sit moderamen in illis:
Vina nocent, rectum si moderamen abest.

Plutarchus in de sanitate tuenda dicit nos ad Bacchum ea proferre debere quæ Euripides ad Venerem, nempe vt adsit nobis, sed moderatè, eius verba sunt, πρὸς δὲ τὸν οἶνον ἅπερ Ευριπίδης πρὸς τὴν ἀφροδίτην διαλεκτέον.

Εἴης μοὶ μέτριος δέ πως εἴης μηδ' ἀπολίποις.

In Genethliacos.

PRisca Genethliacis credebant tempora, produnt,
Omen ab alitibus sæpè solere capi.
Sæpè dabant signum cæsi præcordia tauri
Qui fieret superis victima sacra diis.
Tempore sunt isto qui se callere futura
Commemorent, hæc sunt cuncta referta dolo.

Omen ab euentu est, ait Ouidius: veteres enim ex iis quę illis occurrebant obuiam aliquid auspicabantur, boni, si res pulchra obuia facta esset, mali quidpiam præsagiebāt si fœdum quid occurrisset. Quare Domitianus mortē suam (vt sequuta est) ominatus est ex Æthiope obuiam facto: neque ex iis tantum boni quidpiam aut mali coniiciebant, sed ex omnibus quæ casu contingebant fortuito, & certè vices immittebant in omni ferè negotio, vt patet ex Virgilio & Homero multis in locis, & cui sors bona contigisset, clarus certè iudicabatur. Solebant inter cœnandum etiam in vina quæ propinabant, sortes mittere cum tesseris, vnde Horatius,

Nec regna vini sortiere talis.

Itaque qui sortè rex creatus est, cui faba de cœlo tanquam delapsa cœlicolarum munus offertur, non potest quin aliquid boni quod futurum sit auspicetur, nō potest fieri, quin de eo multa ac præclara iudicia fiant ab iis qui adsunt, & qui sortibus cum eo decertarunt. Quod secundum est de Genethliacis, multa Gellius inter cæteros. Sed de futuris quid posśimus capere, & sit ne

curan

curandum de craſtino,quidpiam dicamus. Imprimis ſeſe offert locus Horatianus,

Quid ſit futurum cras fuge quærere,

Et alibi ad Leuconoem.

Tu ne quæſieris (ſcire nefas) quem mihi,quem tibi
Finem dî dederint Leuconoe, nec Babylonios
Tentaris numeros.

Poſterior hic locus facit contra Genethliacos & præſtigiatores,prior non ita verus eſt,quo fit,vt ex altera parte bene,ex altera malè dixerit Anacreon,

Τὸ σήμερον μέλει μοὶ,
Τὸ δ᾽ αὔριον τίς οἶδεν;

Martialis quidem Priſcum meritò cauillatur, oſtendens futura non admodum ſciri per naturam poſſe,

Sæpè rogare ſoles qualis ſim, Priſce, futurus,
Si fiam locuples, ſimq́ repentè potens,
Quemquam poſſe putas mores narrare futuros?
Dic mihi ſi fias tu leo, qualis eris?

Sed nihil proinde, nã ſi neſciatur pro certo futurum,non ſequitur vt eniti non debeamus ad proſpiciendum quod futurũ eſt, ea enim diſtinctio ſola intercedit inter hominem & belluam, Officiorum primo. Sed inter hominem & belluam hoc maximè intereſt, quod hæc tantum quantum ſenſu mouetur, ad id ſolum quod adeſt, quodq́ue præſens eſt, ſeſe accommodat, paulùm admodum ſentiens præteritum aut futurum. Homo autem quoniam eſt rationis particeps,conſequentia cernit, cauſas rerum videt,

earúmque progreſſus, & quaſi anteceſsiones non ignorat, ſimilitudines comparat, rebúſque præſentibus adiungit atque annectit futuras, facile totius vitę curſum videt, ad eámque degendam pręparat res neceſſarias. Pręterea ſi futura proſpicięda nõ ſunt, cum de præteritis non fiat deliberatio, dixit perperam Homerus virũ conſularem non debere tota nocte dormire: nam ſi non dormit, id facit vt de aliqua rę capiat conſilium: conſilium autem de futuris eſt, & ex Cicerone & ex Ariſtotele.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

Locum ex Horatio primò ante omnes allatum integrum ſi adferamus videbimus Pindarum de eadem re loquentem eodem modo, ei planè repugnare,

Permitte diuis cætera: qui ſimul
Strauere ventos æquore feruido
Deprælientes, nec cupreſsi
Nec veteres agitantur orni.
Quid ſit futurum cras fuge quærere, &
Quem ſors dierum cunque dabit, lucro
Appone.

At Pindarus, Sapientes, inquit proſpiciunt ventum, qui poſt triduum futurus eſt, & præferunt lucro. Nunquid aliter de re eadem?

Σόφοι δὲ μέλλοντα τριταῖον ἄνεμον
Ἔμαθον, οὐδ' ὑπὸ κέρδει βάλον.

Neque ſi futura proſpicienda ſunt, lucrantur aliquid Genethliaci, qui quidquid agunt, cum ſuperſtitione agunt.

Cuique testis conscientia.

OBucis vt crimen pallet sibi conscius, atque
Mentitur metuens, conscius ipse sibi.
Tensis quid fidibus verum extorquere necesse est,
In proprio testem pectore quisque gerit.

Nullus tam sceleratus cui vita displiceat, nullus est qui minima velit sibi commoda detrahi. Omnes itaque qui habentur pro reis, pœnam effugiunt quantum in illis est. Idque dicebat Socrates in Eutiphrone apud Platonem. Παμπολλα πάντα ποιοῦσιν, καὶ λέγουσιν ἀδικοῦντες, φεύγοντες τὴν δίκην: at pœnas subterfugere nequeunt, si facta liquidò constet iniuria: nemo enim, (ait Socrates, eodem loco) vnquam fuit qui auderet eum ab omni supplicio liberum iudicare, qui aut quempiam iniustè peremisset, aut aliud quidpiam iniustè patrasset, τί ὦ ἀνθρώπων ἤδη τινὸς ἤκουσας ἀμφισβητοῦντος, ὡς ἀδικῶς ἀποκτείναντα, ἢ ἄλλο ἀδικῶς ποιοῦντα ὁτιοῦν οὐ δεῖ διδόναι δίκην. Quamobrem factũ negant, & inde nascitur depulsio rhetorica, quod si perpetrarint, non quæstio, non tormenta, non tortores tam excruciant, quàm conscientia, quæ, teste Cicerone, noctes diésque sontes ac sibi conscios plectitur. Ideò monet Horatius rectè,

Hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nulla palescere culpa.

Leæna reperta est apud Athenienses cui expressam orationem extorquere non fuit in tortorum

poteſtate poſitum, ſed facere quiſque ita debet vt ne oratio quidem, ſed ne factum iniuſtum poſsit ex ſe exire, ad id autem vt impellatur quilibet conſideret, beatum illum eſſe ex Horatio,

Qui peius letho flagitium timet.

Perueniat huc igitur quiſque, & eā induat mentem vt firmus ſit & conſtans in bene agendo, vt eſt iuſtus apud Horatium, quem nihil à bono poteſt abducere, quem nihil ad malum poteſt perducere.

Iuſtum & tenacem propoſiti virum.
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus inſtantis tyranni,
Mente quatit ſolida, neque auſter,
Dux inquieti turbidus Adriæ
Nec fulminantis magna Iouis manus,
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ. Et ſic in epiſt.
Vir bonus & ſapiens audebit dicere, Pentheu,
Rector Thebarum, quid me perferre patiq́,
Indignum coges? Adimam bona, nempe pecus, rem,
Lectos, argentum. Tollas licet. In manicis &
Compedibus ſæuo te ſub cuſtode tenebo.
Ipſe Deus ſimulatque volam me ſoluet opinor,
Hoc ſentit, moriar, mors vltima linea rerum eſt.

Ad patrem Calendis Ianuariis.

QVid memorem Ianum? quid Iani tempora? vulgo
Materiam hanc quiuis verſificator habet.
Te memorem, cuius laudes Latonius inſit,
Dum redit, & nobis, dum fugit, ἀντιπόδοις.

Ad

Ad Dominum du Puy Calendis Ianuariis.

SOl renouat cursus, renouanda est gratia donis,
Quod tibi conueniens munus auuncle dabo.
Carduus haud catulo ieiunia sedat, asello
Ossa nec indomiti pabula ventris erunt.
Scilicet, hoc verum est ducit sua quemque voluptas,
Vnáque res variis displicet atque placet.
Telemachus non apta sibi sua liquit Atridi
Munera, conueniens hoc tibi munus habe.

In beneficio conferendo duo sunt consideranda. Primò quid possit ille qui confert. Secunda autem est vt ea offeramus quæ & placent & decent: diuersa enim studia sunt hominum, vt ex Ode prima 1. lib. Carmi. patet docétque illud peruulgatum,

-- ducit sua quemque voluptas,

& illud Petronij minus tritum & rarum magis,

Inquirat quid quisque velit, non omnibus vnum est,
Quod placet, hic spinas colligit, ille rosas.

Præterea decet aliud alias personas, quod qui non cõsiderat, perinde facit Senecæ ac si darèt asino rodenda ossa, & cani carduos. Itaque recte Telemachus apud Horatium,

Atreides magis apta tibi tua dona relinquam,

Idem Horatius vtramque considerationem cõplexus est quarto Carm.

Donarem pateras gratáque commodis,
Censorine, meis æra sodalibus.
Donarem tripodas præmia fortium
Graiorum, neque tu pessima munerum

Ferres diuite me: ſcilicet artium
Quas aut Parraſius protulit aut Scopas
Hic ſaxo, liquidis ille coloribus,
Solers nunc hominem ponere, nunc Deum.
Sed non hæc mihi vis: non tibi talium
Res eſt aut animus deliciarum egens.
Gaudes carminibus, carmina poſſumus
Donare, & pretium dicere muneri.

Aemulatio orta inter duos poetas.

EST exorta duos inter contentio vates,
Tempore quis faceret carmina plura breui.
Parmenſis numero ſuperabant carmina Caſsi,
Plura quidem laudo, ſed meliora magis.

Duo ſunt contentionũ genera apud Heſiodum: quarum alterum nox atra genuit & malis gaudet, alterum laudauerit prudens, quippe non ſinit otioſum quemquam: ſed excitat ad laborem. Videmus vicinum diteſcere contendentem, æmulationem quandam ingenerare in vicino figulum in figulo, fabrum in fabro, poëtam in poëta, cantorem in cantore. Audiuimus Pana correptũ æmulatione in Apollinem, accepimus æmulatum Themiſtoclem Mylciadis trophęis. Sed in iſtis contentionibus videndum eſt non quis diutius, ſed quis ſe melius geſſerit: plura enim, ex iſtis poëtis, qui fecit carmina non eſt tantam laudem aſſequutus, quàm ſi pauciora melius feciſſet, Et maiorem Zeuxis meruit gloriam qui velum vno colore dumtaxat, hoc eſt
albo

albo pertinctum effinxit melius, quàm qui vitem suis (quæ variæ sunt) coloribus adumbrare fuerat conatus. Hesiodi versus de contentione longum esset omnes in hunc locum congerere. Quare hic vltimus sufficiet, qui docet à malis contentionibus abstinendum.

Μηδέ σ᾽ ἔρις κακόχαρθος ἀπ᾽ ἔργου θυμὸν ἐρύκοι.

De passere.

Euasit proprio nuper mihi passer amatus
Corde magis, solitus sæpe sedere manu.
Si scires quàm sis nobis passercule charus,
Heu nolles dominum deseruisse tuum.

Qui captant alienas cœnas, minus profectò videntur habere rationis quàm auiculæ quæ cicures quantumuis fiant, si fortè patet exitus, malũt euolare & ἄγριον τὶ rostro suo apprehẽdere (diffidentes ab Anacreontis columba) quàm libertate carentes, inclusæ suauibus pastionibus vesci. Quo etiam docemur naturã immutare neminem posse, quandoquidem enim natura est auiũ per campos vagari, & per aërem volitare, hoc vnum malunt quàm includi, quo etiam respexit prouerbium, Lupus pilum non animum mutat: fieri potest tractabilis aliquo pacto, sed ferocitatem suam exuere non potest omnem. fit quoque vt nullus natura posit aut difficulter admodum, mores patrios obliuioni mandare, exteras licet nationes perlustret. Ideò maius inest in parasyto peccatum: quoniam qui natura liber est, edacitate sua se seruum facit.

Partem quæ peccauerit ſuis debere pœnis affici.

QVi dare Porſennam tentabat cuſpide letho,
Appoſuiſſe ſuam fertur in igne manum.
Scilicet eſt plectenda ſuis pars Candide pœnis
Quæuis: Mutius hoc Scæuola præſtat opus.

Eiuſdem argumenti aliud.

DE natibus quoties ſumes quaſi criminis vltor,
Pœnas, hac, monitor, parte monendus eris.
Quid meruere nates, flagris plectuntur acerbis,
Arguis has nullum ſuſtinuiſſe nefas.

Mutius Scæuola, qui Porſennã, vt apud ſe ſtatuerat, non ſuſtulit, coram ipſo rege manum amouiſſe dicitur ad ignem, non pedem aut alteram partem, quia, opinor, pars quæ crimen paſſa eſt, pœnas luere commeruit: neque alienum eſt adferre quæ accepi à Syluio Ænea, Pio ſecundo Pontifice maximo poſthabito. Mos eſt Anglis, vt ij qui reperti fuerint in adulterio deducantur in templum à ſacerdote, & omnibus veſtimentis ſpoliati palàm ignominiam patiantur, adſtante populo, licétque hanc infamiæ notam ſubterfugere per pecuniam. Maluus quidam Florentinus multoties deprehenſus, cum hanc vitaſſet contumeliam, maluit tandem ſceleris labem expiare ſuo pudore, quàm iterum ſummam tribuere: & iuſſus à ſacerdote, vt pudenda ſaltem reconderet, reſpondit, partes eas

quæ

quę ſcelus ſuſtinuiſſent, pœnas dare debere meritò. Eſt & apud Martialem Epigramma ad hunc locum accõmodatiſsimum, ſed obſcænũ, ideò tacendum certè eſt: quia ſic docet Iuuenalis,

Nil dictu fœdum viſuq́; hac limina tangat,
Intra quæ iuuenis.

Verùm faciam vt modeſtus ille iuuenis qui eſt apud Menandrum, qui adducta ſibi meretrice à lenone oculos auertebat, & corrodebat bellaria, animúmque abducẽs ab ea, totus videbatur intẽtus ad ea quę menſæ appoſita erant fercula,

Κύψας ἐς ἀυτον τῶν πραγμάτων ἔφλα.

Sic propoſita re obſcœna à Martiali me cõuertam ad bonum quod elici poterit tanquam ad bellaria, ſic igitur Martialis docet de partibus ſumendum eſſe ſuplicium quæ peccarunt,

Quis tibi perſuaſit nares abſcindere mœcho?
Non hac peccatum eſt parte, marite tibi.
Stulte, quid egiſti? nihil hîc tua perdidit vxor,
Cùm ſit ſalua ſui mentula Deiphobi.

Quatuor conditiones quæ corrumpunt munera.

ES mihi multa quidem largitus munera, verũ eſt,
Plurima largiris, nec tibi larga manus.
Munificumq́; refers hominem, nec talis habendus,
Plurima largiris nec quoque largus homo.
Plurima largiris, ſed cunctis ipſe recenſes,
Munera corrumpunt mens, mora, lingua, modus.

In captatores ſenum.

Est diues viuitq́ ſenex Acheruntiacus? illum
Nollent qui ſimulant viuere velle diu.
Fitq́ ſenex ſenior, fruitúrque diutius aura,
Spes captatores paſcit inanis eos.

Quatuor ſunt quæ donum corrumpunt maximè & reddunt illiberale, quorum mens mala primum obtinet locum, quando videlicet quis dat vt quadruplum accipiat, quod qui faciunt, ſimiles ſunt iis qui piſces demittunt in piſcinā, vt inde paſcantur aliquando. & hæc collatio eſt ex Horatio,

--ſunt qui
Fruſtis & pomis viduas venentur auaras,
Excipiantq́ ſenes quos in viuaria mittant.

Hæc habet Horatius. De ſenum captatoribus in omnibus penè dialogis mortuorum Lucianus, quos huc adferre longius eſt, quàm ratio poſtulet. Iocoſum in eos Epigrāma qui ſenibus inſeruiunt, ad Gaurum habet Martialis,

Munera qui tibi dat locupleti Gaure ſenique,
Si ſapis & ſentis, hic tibi ait, morere.

Itaque vt dixi,

Nollent qui ſimulant viuere velle diu.

Mirum eſt quod tradit Lucianus de ſene quodam qui nullos haberet liberos, eius tamen repertos ducentos heredes. Munera porrò quę offeruntur ad accipiendum aliquid reſidui, Martialis confert cum hamo ſexcentis in locis. Imprimíſque ſic ad Gargilianum.

Munera

Munera quòd senibus viduisque ingentia mittis,
Vis te munificum, Gargiliane, vocem.
Sordidius nihil est, nihil est te spurcius vno,
Qui potes insidias dona vocare tuas.
Sic auidis fallax indulget piscibus hamus,
Callida sic stultas decipit esca feras,

Deinde alibi,

Odi dolosas munerum & malas artes,
Imitantur hamos dona: namque quis nescit,
Auidum vorata decipi scarum musca?

& ad Marianum libro sexto,

Munera magna quidem misit, sed misit in hamo,
Et piscatorem piscis amare potest.

Alios locos quos innumeros reperi, breuitatis studio non citabo. Mora pręterea donum corrumpit, vnde Ausonius,

Si bene quid facias, facias citò, nam citò factum,
Gratum est, ingratum gratia tarda facit.

& aliter idem poëta rem eandem perstringit,

Gratia quæ tarda est, ingrata est gratia namque,
Quæ fieri properat gratia grata magis.

Sic quoque Lucianus primo lib. Florilegij Epigrammatum Græcorum,

Ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι, ἢν δὲ βραδύνῃ
Πᾶσα χάρις, κενεὴ, μηδὲ λέγοιτο χάρις.

Martialis quoque,

Diligo præstantem, non odi Galla negantem,
Quod petij præsta, vel citò Galla nega.

Lingua quoque integrum non patitur esse munus, aut cum beneficia nostra commemoramus iis in quos contulimus, & munus nostrum exornamus

namus verbis, & ideo sic Sosias Simoni apud Terent.in Andria,

Sed mihi hoc molestum est: nam ista commemoratio
Est quasi exprobratio immemoris beneficij.

aut quando iactationis causa narramus aliis, vnde Martialis ad Posth.

Quæ mihi præstiteris teneo semperq; tenebo,
Cur igitur taceo? Posthume, tu loqueris.
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat, dixerat ille mihi,
Non bellè quædam faciunt duo, sufficit vnus,
Huic operi, si vis vt loquar, ipse tace.
Crede mihi, quamuis ingentia Posthume dones,
Authoris pereunt garrulitate sui.

Atque hæc est quarta munerum corruptela, nec parum refert modus quo offeruntur, placent enim magis quæ negantur honestè cum venustate & gratia, quàm quæ dantur tristi facie: videntur enim expressa hæc beneficia non libera, per ea autem quæ sunt huiusmodi discurrere breuitas non postulat. Modum autem dandi beneficij facimus ex vultu promanare, quia ex vultus serenitate, aut perturbatione deprehēditur propensio voluntatis eius qui dat, hoc liberéne an contrà det, & ideò Martialis dixit,

Si negat hoc vultu quo solet ergo dare.

Quasi diceret, si negat hoc modo quo solet ergo dare.

Con

Contrarios effectus ab eadem cauſa promanare, & è contra.

QVi fit vt effectus contraria gignat eoſdem,
Cauſa? parit fœtus fœmina diſsimiles.
Teſtantur Leda geniti, mortalis habetur,
Pollux; at Caſtor creditur eſſe deus.
Diſtat ab humana quantum natura Deorum,
Tantum diſtabant, nî copulaſſet amor.

Sæpè contingit vt cauſæ contrariæ gignant eoſdem effectus: fit enim febris ex calore, & extremarum partium frigus febrem ſimiliter excitat: ſed diuerſa ratione, nam frigore accedente ad pedes fit motus localis, calórque depellitur, abitque in medias corporis partes, vbi propter calorem excitatur febris. Amor fœdus & impudicus opponitur caſtitati, eundem tamen effectum procreant, ille mortem Phædriæ, hæc mortem attulit Hippolyto. Hoc continet Epigramma Græcum incerti authoris,

Σωφροσύνη καὶ ἔρως κατέναντίον ἀλλήλοισιν
Ελθόντες, ψύχας ὤλεσαν ἀμφοτέροι.
Φαίδρlω μὲν κλεῖνεν πυρόεις πόθος Ιππολύτοιο.
Ιππόλυτον δ' ἁγνὴ πέφνε σωφροσύνη.

Fit quoque ſæpè, vt cauſa eadem gignat effectus contrarios, vt gemini teſtantur, ſicuti Caſtor & Pollux, Amphion Zethus, & reliqui. Anhelitus

aperto prodiens ore manus ſæpè calefacit, idē ſi per compreſſa exeat labia valet, ad refrigerationem, vt alicubi eſt apud Æſopum, & experientia quotidiana docet. Tertio de natura Deorum, Phereo Iaſoni profuit hoſtis, qui gladio vomicā eius aperuit, quam medici ſanare non poterant. Ecce, gladius qui tot hominibus mortem attulerat, huic ſanitatem reſtituit.







BOMBYCVM
METAMORPHOSIS,
Cui adiuncta eſt ſympathia, quæ eſt ſapienti cum bombyce.

BOMBYCVM *uarias dicẽti* Phœbe, *figuras,*
Adfer opem, uoſq; ô montis clariſsima ſacri
Numina, Pierides, *pura uos mente ſacerdos*
Ipſe colo, date poſſe loqui, date carmine fari,
Bombyces omni uacuos à murmure, mole
Corporis exigua. fructus, animalia, magnos
Parua licet, fertis, uos, uos, uariaſq; ſonabo,
In quas mutari uoluit natura figuras.
Protinus hoc animal ſenſim ſeſe extulit ouo,
Intuitur lucem catulis hoc diſtat in uno,
Promouet & greſſus, ſimul ac diſperſa ſupremi,
Lumina clara poli uidit luſtrantia terras.
Dum graditur (quamquam pedibus natura beauit
Hoc animal) ſerpit pedibuſq; carere uidetur:
Nec tamen hac ratione repit, qua ſerpitis, angues,
Spicula nulla, uelut uirides ſoluëre colubræ,
Vibrat ab infecto quas ſic deprompſerit ore,

Tractatur manibus: ſtimulo neque pungit acuto,
Moris ut eſt apibus: roſtro neque garrit adunco,
Mos auium uelut eſt, Animal iucundius omni,
Eximios præbet fructus, faſtidia nunquam,
Vt faciunt pecudes, armentaq; iurgia, curas,
Quæ pariunt dominis, ac bella domeſtica, ſæpe,
Perdere dum metuit paſtor fit præda Leoni.
Huic lactuca cibos animali caſta miniſtrat,
Vel capit ex foliis ſapientis pabula mori:
Quæ congeſta ſuum poſtquam tetigere palatum,
In corpus mutata nouum ſubſtantia fiunt:
Corpus & occultis, ſolita plus mole, diebus
Creſcit, poſt aliquot, ſemoto tegmine, luces,
Corporis antiquo, confeſtim pelle recenti
Induitur, quæ poſt rurſus faſtidit, & illam
Exuit, ac alio uelamine ſiſtit adepto,
Donec eo ſpolietur adhuc, nactumq; ſubintret
Inde recens, ſub eo, doctam, dum texit, Arachnem,
Exuperat, nec ſi contendere forte Minerua
Docta uelit, uictrix euadat, uicit Arachnem
Quamuis, & laqueo uitam finire coegit.
Tàm rectè didicit natura nere magiſtra.
Non texit filum quod texit Aranea uile:
Veſtibus aſt oſtrum texit regalibus aptum,
In ſua nec uolucres impingunt rhetia muſcæ,
Irretita ſuo non ſicut aranea filo
Pendet, at inuoluit ſeſe teſtudinis inſtar
Textura, niueo quæ conſpicienda colore,
Interdum flauo eſt, quàm ſi ſuſtuleris, omni
Tegmine non nudum eſt, ſed quo facit oſtrea pacto
Veſtiri conchis Deus, ut caſtanea uepris

Cis

Cingitur,ut muris,qua uincat frigora, ueste
Induitur bombyx,flauo quod texuit ostro
Proueniente,mala qua se defendat ab aura,
Est etenim postquàm partim se uertit in ostrum,
Debilior,ueluti mulier ui læsa minore,
Conspicitur,tumidam postquam desiuerit aluum,
Ediderit́q; suum,gaudens cum coniuge fœtum.
Vertitur assumptis in piscem uiribus,atque
Viuit adhuc,manditq;, & sentit, anhelitus artus
Perflat adhuc, forma neque semper sistit in illa.
Aggerat in cumulum sese torpore sepultus,
Membra fabæ subeunt formam,quasi lenta ueternus,
Corriperet,somnumq; necis dormire uidetur.
Non capit ore cibum, quando neque forma superstat,
Oris,& est ueluti non sit spiramine clauso,
Quæ tamen implicuit sensim sua membra,resoluit,
Explicat,extenditq; mouetq;, grauémque soporem,
Deserit, ac oculis paulatim cernit apertis,
Ora patent,spirant uitalia pneumata,uerùm
Qui modo piscis erat, modo qui faba sensibus expers
Fit modo Papilio lateri crescentibus alis.
Hoc animal quisquis mentis lustrabit ocellis,
Is naturalis laudabit opificis artem
Arte carentis.Eum quàm uasta potentia cuius,
Condidit & terras,& salsum condidit æquor,
Aëre qui cinxit terras,ac aera cælo,
Ethereasq; domos construxit & ignibus illas,
Impleri uoluit, mentis conceptibus, inquam,
Cognoscet,nam quos mater natura beauit
Ingenio rudiore,dedit cognoscere causas,
Per sua facta,dedit quæ uisibus illa negauit,

Humanis, nosci sensus quibus occupat istos
Externos, facilis transfert ad pectora sensus.
Séque suis docilem præbet redditq; capaces.
Exuit ut pelles bombyx ubi texuit ostrum,
Piscis ut est factus, faba sensibus ut fuit expers,
Mutauitq; suam cum papilione figuram,
Proximus ut morti est miscet cum semine semen,
Sexus uterque simul coniungitur, utpote prolem
Procreet, atque sui speciem conseruet in orbe:
Hac etenim uoluit natura cupidine ferri
Omnia quæ latas habitant animalia terras,
Hoc opus ut peragunt, mas unà & fœmina uertunt
Tergora tergoribus (mirum) è regione locatis,
Oppositísque, uelut rem spernant, attamen illud
Exercent opus: at naturæ lege coacti.
Fœmina disposito tum semine parturit oua,
Ex quibus exoritur simili sub corpore fœtus.
Hoc animal tibi sit ueri sapientis imago,
Qui cernit ueri lucem, neque læsus ab illo
Conspicitur quisquam, cumulat quin munere cunctos.
Quem pascit lactuca, Venus quia læditur ipsa,
Vel morus matura modum quia continet omnem,
Nec se præcipitat, sed gressus temperat, arbor
Quæ uiget ut reliquæ pereunt & gratia cedit,
Qui reicit pelles antiquas, atque recentem
Induitur, dum se propriis affectibus orbum
Reddit, & obtegitur uirtutis tegmine, qui se
Textura inuoluit propria, non texere tantûm
Contentus, quòd si texturam demere quisquam
Contendat, nulla nudatum parte relinquet,
Scilicet ora sonant uirtutem, uerba repellas,

Obte

Obtegitur, rectè factis queis Pergama cedunt,
Candidus est, quòd si flauum quid texit, ad album
Vergit, & est propior, cum calliditate, benignam
Commiscet mentem uacuatam fraude dolóque.
Nec pedibus texit, per quos mea Musula sordes
Denotat ingenij. Piscis fit, & ora resoluens
Inuocuam cingit uallis, ac mœnibus ambit
Linguam. Piscis enim sonitus emittere nullos
Auditur: faba fit, dum ponit in aggere sese
Infima cuncta terens, haurit sublimia toto
Pectore. Mens nulla sceleris pertincta nefanda
Labe, carens uitio pectus, doctrináq;, præbent
Alas queis uacuum tutus secat aëra, tutus
Queis super excelsos cælorum permanet axes.
Qui modò serpebat, super alti sydera cœli
Quî fit ut ascendat pedibus priuatus & alis?
Serpit humi sapiens, neque serpit, serpitis ipsi
Qui uix extremis terram contingere plantis
Audetis, stulti, uanáq; cupidine ducti
Serpitis, ad Venerem quos ducit sola uoluptas.
Sacra Dioneæ dum fert sua tergora uertit,
Ostentátque deæ spernens sua sacra, facitque,
Quod sit opus cuiuis mortali sortè creato.
Hæc super in uarias uerso bombyce figuras
Hactenus, in portu nos anchora iacta moretur,
In te, Musa, refer uoces, Pimplæa, benignam
Feßis tam longo defer sermone quietem.

A'YTARXES.

ECLOGA.

AYTARCHES, ÆPOLVS, EMPIRVS.



O Me fœlicem nulloq; angore subactum,
Triſtitiam longè fugio, tenet impia mœror
Pectora, nequitiæ ſignū eſt in mēte repoſtæ.
Cōtingūt quoties pecori diſcrimina, noſtro,
Nec dolor idcirco noſtros miſer occupat artus.
Obfuit Heliadum luctus, Phaetonte perempto.
Omni ſi lachrymas effundam tempore, nullos
Hinc referam fructus, uenient nec perdita nobis.
Propterea ſemper ridendum eſt pectore toto,
Quidquid erit ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.
Sunt qui magna petunt magnos patiendo labores,
Eſſe pares uellent Phœbo, ſi fortè liceret.
At contentus ego paſtoris munere, uitam
Ducere iucundam ſoleo, calamoq; ſub umbra,
Ludo, bibo, comedo, non deficit ipſe lyeus,
Sic ego ſum fœlix, nec uita iocoſior illa.
ÆPOL. Faxis amice ſciam quo uiuas ordine, faxis.
En ego ſum paſtor, ſed me tamen anxia cura
Exagitat, uarios cordi cumulatq; dolores.
AYT. Aepole non miror, paſtores ſpernis, & arma
Sectari cupiens, curam contemnis agrorum.
Præclarum belli fulmen, fortiſsimé miles.
Aepole quàm magnas referunt tibi prælia laudes?
Quot tua mille uiros, certando, dextra peremit?
ÆPOL. Omnia ridendo, ſolito de more, ſuſurras.

AYT.

AYT. Aepole uera refers, quænam mihi causa doloris
Esset? quis uetuit ridendo dicere uerum?
Te quis ad arma mouet? cur spernis Pana colentes?
ÆP. Ipsa mouet belli præstantia, me quoque fructus,
Allicit ad bellum, me commouet ardor honoris.
AYT. Nulla suis unquam promittit præmia Mauors.
ÆP. Num cernis Mopsum ad magnos euectus honores
Vt sit? pastor erat, sed nunc est Martis alumnus.
AYT. Num cernis Tytirum ad summa infortunia lapsum?
ÆP. Desine stulte loqui, nescis quid prælia prosint.
Quàm fuit egregium multos superare lacertos,
Romanis ducibus, quàm præstat castra potentum
Obsesisse, sibi dum parta trophæa canuntur.
Suspice Martigenam uectum super astra Quirinum,
Præbuerit dextram, quòd decertando uirilem.
O præclara, potens, dignißima Martia proles.
Rura colit pastor, structa modulatur auena,
Miles uirtutem campis ostendit apertis.
AYT. Nequicquam tot uerba refers, & multa loquendo,
Nequicquam sermone diem consumere tentas,
Nescio quos laudas, multis ambagibus utens,
Ast ego pastores laudabo, Martis honores
Immeritos, modulis tentabo spernere nostris.
Si uero belli primùm quæratur origo,
Tunc cœpit bellum, cum ferrea secula, cùmque
Astrææ caruit diuino numine Tellus,
Tunc cœpit bellum cum Tellus fraude referta
Esset, & incœpit uitiis dominantibus orbi,
Si quid habet miles certo pastoribus aufert,
Martem quisquis amat, Venerem colit ille, benignum
Quisquis Pana colit, castam colit ille Dianam

Pastores penes est omnis uirtutis Asylum.
ÆP. Tunc cum bella uigent, pastoris cuncta recedunt
Prospera, nec solùm quondam conseruat ouile.
AYT. Accidit hoc paucis, nam cum sua tela prehendunt
Pastores, alij fugiunt uelocius aura.
Pascitur ex furtis miles, sic omnia furtim
Surripit in bello, nihil hic nisi furta uideres.
Arctaq; cum strictæ iunguntur fœdera pacis,
Desunt militibus quæ posśint dentibus ossa
Rodere more canum, superest tamen æquoris unda.
Dilaniare greges soliti, quoque sæpe furari,
Hoc faciunt, tandem summa ad tormenta coactos
Pœnitet esse fures, & pœnitet arma sequutos.
ÆP. Scilicet ut campi, terra est fœcundior huius,
Aptior & pecori, quàm sit tibi proxima, sicq;
Si sint in bello scelerati, sunt meliores.
Conditione tuam qua uis traducere uitam?
Optimus hanc sequitur, complectitur impius illam.
Vnica uer placidum aduentu non signat hirundo.
AYT. Pastórne, an miles? Martémne an Pana uereris?
ÆP. Non ego sum miles, quamuis si fortè liceret,
Arma sequi uellem, multò liberius aruis.
AYT. Hinc molire gradum. Nunquid mea pascua miles
Occupat? an tentas pecudes auferre tenellas?
Hinc sceleráte procul, quin te mea dextra repellat.
ÆP. Quàm furibundus ades? quæ te dementia cœpit?
Heu, heu, Aytarches charo non fidis amico?
AYT. Dic mihi quisquis ades, quo sis cognomine dictus.
ÆP. Nomine me toties, & iam, iam, stulte, uocasti.
Tantáne te demens cœpere obliuia nostri?
Labráne tinxisti Lethes sitibundus in undis?

Non

AYT. Non es quem rebar, thoraca indutus ouilem
Es lupus, huc ad nos uenisti nomine ficto.
Pan, Pan summe Deus pecoris reminiscere nostri.
ÆP. Heu, heu, Aytarches, charo non fidis amico?
AYT. Si tibi uis fidam, da certa indicia ueri.
ÆP. Aepolus ipse fui, sumq; idem sumq; futurus.
AYT. Ipse es profectò, sed cum tam multa loquentem
De bello audiui, ter mente quatérque uolutans,
Militis est signum, dixi, méque ipse fefelli.
ÆP. Sume animum, non miles ego, sum pastor amœnus.
AYT. Iamq; animū sumpsi, nec iam timor occupat artus.
Aepole tu quoniam mihi tanti es causa doloris,
Amplè de propria liceat ientare crumena.
ÆP. Tu uale, chare mihi, reuocant me namque penates.
AYT. Alter eris certè, si uiuis, cautus Vlysses
Nemo uocat, nec uox istas peruenit ad aures,
ÆP. Mox, mox, perueniet, sed & alta silentia præbe.
AYT. Res præclara quidem socios hoc fallere pacto,
Aepole nemo uocat, gratam sedeamus ad umbram,
Impensis liceat ientacula sumere uestris.
ÆP. Id placet, innocuam læti sedeamus ad umbram.
Accipe caseoli partem, tibi lætus, amice,
Præbibo, sunt nuces, panis, de uite racemi,
AYT. Aepole crassus adest crasso de uerre petaso,
Cautus in extrema, memorans ientacula, pera
Condideram, charam precor Aepole, præbe lagenam.
ÆP. Accipe quod quæris, redolet sat uina palatus.
AYT. Num satius ducis teneris accumbere mensis,
Quàm bellando graues Martis sufferre labores?
Aepole quàm dulce est libando pocula Bacchi,
Panis amore frui, Cereris quoque fructibus uti.

Me miſerum prodeſt, prodeſt in rebus agendis
Perpendiſſe diu, nunquid tentare nocebit.
Me miſerum! quò fata trahunt? fortuna ſagaces
Adiuuat, illa leues, ſtultos, timidosq́; repellit.
Quin etiam prudens fortunam temperat, eius
Tela cauens, binas Iani capit ille figuras,
Anteriora uidet, rebus uigilatq́; futuris.
Quæ ſi feciſſem, non tot me aduerſa tenerent.
Pœnitet heu ſero, me pœnitet arma ſequutum,
Pœnitet, at nimium ſera eſt ſapientia Phrygum.
O nimium fœlix paſtoris munere fungens,
Infœlix nimium qui eſt aſpera bella ſequutus,
Quod petij ſperno, repeto quod nuper omiſi.
AYT. Aepole quis noſtras iamdudum perſonat aures?
EMP. Saluete ô ſocij, dum uos mea lumina cernunt,
Tunc agere in cœlis uideor, uideorq́; renaſci.
AYT. Empire, tu ſalue, noſtris infixe medullis.
ÆP. Dic mihi ſi lubeat ſortem, nomenq́; recenſe,
AYT. Aepole, non noſti cuius mihi uerba tenebas,
Nuper ducendo per deuia rura capellas?
Empirus eſt, prima cognoui fronte ſalutans.
ÆP. Empirus eſt? Salue, uita mihi charior ipſa,
Dic, ubi degiſti nobis inuiſe tot annis?
EMP. Neſcio quo fato ſum peßima bella ſequutus.
AYT. Empire demiror, cur proſpera liqueris arua.
ÆP. Miraris fruſtra, Gladius num præſtat aratro?
AYT. Empire, quandoquidem uult militis artibus uti,
Edoce ſucceſſum belli, tibi credet amicè,
Sed quia me cædes nunquam iuuere cruentæ,
Dicere cum ſoleo, tunc me putat ille iocari.

EMP. Aepole, si nosses, quot casus arma sequuntur,
Arma sequi nolles, nec belli ferre labores,
Cum tuba, bellandi signum dat rauca cruentum,
Tela parata capit miles, furibundus in armis,
Confidensq; animis, proprios erumpit in hostes.
Ictus nunc patitur, reliquis nunc uulnera figit,
Semper sollicitæ manet in discrimine uitæ.
Omnia desperat subiens certamina miles,
Vndique clamor adest, resonátque tot ictibus æther:
Nunc catapulta sonat, nunc irruit impetus hostis
Haud abeunt unquam quin sint satiata cruore
Pectora, post, quando sonuit tuba rauca recessum,
Centum ex corporibus tantum duodena supersunt.
AYT. Aepole uera refert, credas, namque omnia nouit.
EMP. Omnia qui nouit nollet nunc omnia nosse.
AYT. Et tamen arma sequens pastores linquis amœnos.
Aepole, responde, quid dicat respice sensim.
ÆP. Bello quidquid inest, fœlix hoc omne putaram.
AYT. Empire si lubeat quæ restant ordine nobis,
Exponas, animis præsentes stabimus ambo.
EMP. Me miserum! memorans quæ sum infortunia passus,
Non possum lacrymas oculis moderare cadentes,
Sæpe iacere solo, nec non & grandine uesci
Cogimur, atque pati mittentes flamina uentos
Impleri niuibus, dúmque urget pluuia, tectis
Sæpe carere, meos nunquam releuando labores.
Frigore núncque premi me, núncque uigente calore,
Guttas ex facie labi, nunc grandine tangi.
Belli si cunctos tentem numerare dolores,
Non possem, licet ora decem natura dedisset.
ÆP. Rides, & uerbis forsan me fallere tentas.

EMP. Rideo? non certè, cogor tibi dicere uerum.
Non est quod poßim ridendo talia fari.
AYT. Aepole non credis? sis miles, pastor amœnus,
Semper ero, tu bella geras patiendo labores.
Me iuuat innocuo pastoris munere fungi.
ÆP. Quid? si multa feram, multos adipiscar honores.
Forsan & hæc saluum quondam meminisse iuuabit.
EMP. Vitam fortaßis primo certamine perdes,
At si non perdas, præterquàm uulnera sumes.
Pauper eris semper, nec te bellasse iuuabit.
AYT. Empire uera canis, sed quid tot uerba uolenti,
Prosunt arma sequi? noscet cum bella sequetur.
Illum quid prodest multis obtundere uerbis?
ÆP. Consiliis utar uestris, nunc omnia nosco,
Arma sequi nolo, delectant Pana colentes.
Quas referam uobis pro tanto munere grates?
Hinc simul ad cœnam properemus. Æ. quàm bene narras:
Inq; domum iam uesper oues deducere suadet.
Ergo ualete fagi, colles, uiridantia prata,
Crastina dum lucem rediens aurora reducat.

In fontem Gentiliacum Ode dicolos.

SI me quando ſacer corripuit furor,
Nunc me corripiat uelim:
Vnquam ſi dederit frigus amabile
Labris Pegaſeus liquor,
Magnis nunc opus eſt hauſtibus ebibam
Dulces fontis aquas ſacri,
Muſæ cúmque ſuo nectare ſplendidum
Infundant Charitum decus.
Vt Gentiliacum dicere fontium
Poßim quàm celeberrimum.
Quamuis excipias ungula Pegaſi
Quem fecit: ſequitur tamen.
Dianæ, reliquis fontibus anteit
Gratus, Muſa, refer ſitum.
Fons hic Pariſio profluit in ſolo
Sancti uaſtáque Iacobi,
Inter, nate, iacet, paſcua proluens
Marcelliq; ſuburbia.
Omni parte locus collibus obſitus,
Colli ſubiacet ipſe fons.
Nec ſemper madidum reddidit hoc ſolum
Leni murmure profluens.
Quondam Nympha fuit uirginis aſperæ
Eius ſeruitio ſacra.
Hac ſaltus peragrans Cynthia milite
Letho Phœbe dabat feras.
Portabant pharetram tergora pendulam,
Arcum dextera flexilem.

Arde

Ardebat capripes carpere uirginem,
Nec uult uirgineum decus,
Virgo perdere, si fata uelint mori,
Hanc tollit fuga protinus.
Vestis contumuit flamine candida,
Et pulsi uolitant sinus.
Instigátque timor cursibus innubam,
Faunum dira proteruitas.
Anceps hæc properat, nec sibi lubricam
Imponit satyrus manum.
Infirmi simul ac deficiunt pedes,
Fundens ad rigidam preces,
Latona genitam, cum gemitu graui,
Tales ore dedit sonos,
Præsta te memorem quanta fides mihi,
Nolens uim patior, caue.
(Si te quid famulæ uerba mouent tuæ)
Perdam uirgineum decus.
Palmam, Phœbe, caue uirgineam mihi
Faunus subripiat salax.
Orco me potius labier, aut iube,
Formam linquere feminæ.
Humor tum gelidus creuit aquæ, simul,
Tales ore dedit sonos.
Tendunt in liquidos brachia riuulos,
Faunus sistit & uritur.
Quà poßit cogitans cernere uirginem,
Nec sentit metamorphosin.
Lustrat sæpe locum Cynthia, quo suæ
Perpexit famulæ fidem.
Naiades saliunt orbis in ambitum,

Ducunt

Ducunt uocibus & choros.
Fit quo conficeris, faune salax, calor.
Grato frigore lenior.
Armentisque sua sæua caniculæ
Vitatur rabies aqua.
Ergo te memorem fons celeberrime,
Fons pulcherrime fontium.

Ad munificentiss. Patrem pro acceptis Xeniis, Ode.

QVando larga manus munera splendidi
Auri contulerat, splendidus & color
Ex bursa tenebras expulerat mea,
Cantarat subitò Dea
Non ingrata tuæ munificentiæ,
Cantus ediderat quæ Polyhymnia
Fertur Pieria nata memoria:
Anceps sed tacuit statim,
Et conuersa suis dixit, amens ego?
Vrbi quid celebri ferre Cecropiæ
Prodesset stupidam, dicite, noctuam?
Id nullus faciat uelim.
Ergo cùm haud meritò carmina debeam
Nostro ferre patri, nil potero: tamen
Optabo uiridi tempora quem colo,
Lauro cincta gerat pater.

Ad clarissimum virum Io. Antonium Bayfium.

IAm fuit in uotis dudum tua tecta subire,
Nec datur optanti posse subire mihi.
Attamen accessi ter mente quaterque uolutans
Quod penes est doctos gratia cuncta uiros.

Ad eundem.

EX quo percelebris fauit tua Musa parenti,
Contigit optanti limen adire tuum:
Nec semel est adiisse satis, uehementius opto,
Siccam sola nequit gutta domare sitim.
Escæ qui modicum capit ut releuetur orexis,
Esurit interea pallidus ora fame.
Nec minuit mea uota, semel tua tecta subisse,
Nec semel est cupido te subiisse satis.
Coniugis amplexus ex quo Tithonia linquit,
Dum caput Oceano mergit Apollo suum.
Conor adire, tamen careo successibus, ecquid?
Non capit ulla meos tarda podagra pedes.
Posse redire datur, simul est ad limina uentum,
Vltro si cupimus, sistimus ante fores.
Intrò uota petunt, pugnat sententia mecum,
Conditque malus cum ratione pudor:
At memini tandem quæ quondam uerba dedisti,
Nec siui rapidas, ut sequerentur aquas.
Non habet hæc Zephyrus, propria sunt condita mente:
Deleri nequeunt, tam bene sculpta manent.

Sumpsi

Sumpsi animos, nec adhuc mens certa sede moratur,
  Sum tamen & uisus tutior ipse mihi.
Et quamuis uarios frontiq; genisque colores
  Formido inducit, non pudor ullus inest.
Mentitur ficta siquidem sub imagine ueri,
  Quisquis ait, non est absque pudore metus.
Ingredior, licet usque timens, sensimq; meorum
  Arcta resoluuntur tardáque uincla pedum.
Sum simul ingressus, gressus celerare uolenti,
  Attonito sensi mi riguisse comam.
Occurrit uirgo, perfricta fronte, minaci
  Inderdum uultu, sed moderare sciens.
Vultibus erectis, gressu grauitate superbo,
  Et uestimentis, fœmina uirque suis.
Sustinet ac hastæ eius dextera pondus acutæ,
  Ac tegit illius Martia crista caput.
Constitit, & superimpositæ uestigia dextræ,
  Vultibus illæsis imprimit illa meis.
Quæ foret haud scieram, uerum quæ uultibus hæsit
  Indicium multis littera ducta dedit.
Hinc metus, & posthac fronti color unicus insit
  Dixit, & est illo cedere uisa loco.
Altius ascendi nullo prohibente pudore,
  Altius ascendi non prohibente metu.
Tum quoque uox audita canens mibi talia, uultu
  Ne nimis audaci conspiciare, caue.
Nescio plus ne satis conscendens altius ausim,
  Parce, precor, si te læsero, culpa latet.
Nec licet ipse uelim queo non audere, iubente
  Numine, nulla mea est culpa sed illa deæ est.

Ad clariſsimum virum Scæuolam Sammartanum.

Reddidit innumeris te clarum dextera ſcriptis,
Cur potius nomen non dedit illa tibi?
Nil quoniam præſtas neque quid meditare ſiniſtri,
Scæuola tu non es, crede, ſed Aſteropeus.

ΕἸΣ ΤΌΝ ἈΥΤΌΝ.

Δέξιος εἶ παλαμός τε κακῶς ὁ καλούμενος ὀρθῶς.
Ὄρθα λέγειν ἔχειν μὴ ποτὲ αἴσχρα καλῶς.

Ad Doctiſs. Henricum Monantholium Doctor. Medicum & Mathematicarum profeſſorem Regium.

Qvod dicunt numeris ab unitate
Ferri principium, fortiter improbo,
Nec fallit ratio probe negantem.
In te tot numeri coincidentes
Vnum te faciunt: tamen manebit
Firmum dogma tuæ matheſeos, ſi
Vnum te numero ualore plures,
Componens cytharam Thalia dicat.

Ad

Ad Patrem vt nouis vestimentis poëtam indui curet.

Sceptrigeri regis lateri qui semper adhæret,
Regalisq; aulæ limen adire solet,
Murice pertinctis, auroque, ostróque superbis,
Vestibus induitur, purpureáque toga.
Ast aulam Phœbi sacram sequor ipse comati,
Et proprio cytharæ pollice chorda tremet.
Non decet idcirco trita sic ire lacerta,
Qui soleo sacri collis adire iugum.
Qui colit & Charites & quem Latona creauit,
Magnificis debet uestibus ille tegi.
Non peto purpureas, modicis fac uestibus utar,
Cantabit grates noster Apollo tibi.

Musas ab omnibus fere aspernari.

Spernitur à cunctis doctarum turba sororum,
Personat ac cytharam solus Apollo suam.
Ingenuas nullus sectatur Palladis artes,
Quæritur hoc tantùm Ditis habere bona.

Musas coli debere.

Appetit Erisithon Cererem coluisse benignam,
Dum uidet esuriens ora carere cibis.
Sic si contingat uobis spreuisse Camœnas,
Harum multoties esurietis ope.

ÆNIGMA.

Debilis apricos habitat matercula campos,
Vmbrosáque potens natus in urbe latet.
Illa tremens tanquam senio, multúmque caduca,
Pro fulcro baculum, dum tumet aluus, habet.
Nuda manet canis quoties hirsuta capillis
Sæuit hiems, tegitur dum canis ardor adest.
Crescit, at occulto natus deperditur æuo,
Rura patent matri, carcer habet sobolem.
Tanta uis est genito fortes ut Marte lacessat,
Arctè uix ortum fortia uincla tenent.
At fugit interdum per sese membra solutus,
Grandior, est dulcis, post tamen ille furit.

EXPOSITIO.

Detege quam cernis tabulam, uelamine moto,
Comperies uitem, comperiésque merum.

ALIVD ÆNIGMA.

Ile quis est morti qui, non moriturus, adhærens
Naturæ cuidam subiacet ille tamen?
Nec Deus est nec homo, uerum usque creatur & usque
Interit, examina singula, somnus erit.

De librum hunc legentibus.

Non addictus ad hunc librum legendum,
Quisquam est: composui mihi ac amicis
Tantùm, si quis eum legit libenter,
Lætor, cui fuerit molestus, ille
Me reddet quoties leget, molestum.



DIALOGVS EX GALLICO ERVDITISS. PVELLÆ CATHARINAE DES ROCHES, in Latinum ſermonem conuerſus.

PAVPERTAS, FAMES.

IVPPITER *exarſit quandoque cupidine nymphæ,*
Cuius ob accenſas nuper cũ cõiuge tædas,
Cõuiuas habuit ſuperos: peruenit ad aures
Fama meas, celerẽ meq; ad cõuiuia greſſus
Sponte tulit, diuûm nulli tamen ante uocatam.
Poſtremis ſupereſſe, Fames, ſedilia menſis
Sperabam tibi.

FAMES.

Cur me non comitante profecta es?

PAVPERTAS.

Ne tibi deficeret menſa, locus, undique plena
Adductæ fruſtra.

FAMES.

Qua te ratione benigni
Excepere dij?

PAVPERTAS.

Non fauſtè, turba deorum,

Me simul inspexit, subitò concussa mouetur
Sedibus, & gemmas pretiosaq; cuncta recondit.
Iuppiter abscondit sceptrum, Venus aurea zonam,
Pulcher Apollo lyram, texitq; talaria natus
Maia, nec liquit pharetratus tela Cupido.
Illis namque parum paupertas fida uidetur.

FAMES.

Te ne timet puer ille tuus? nescitq; Cupido
Paupertate satum se?

PAVPERTAS.

Nouit, callidus audet
Dißimulare tamen, meq; extra limina primus
Expulit, iratoq; trahens de pectore uoces,
Addidit. Hinc aliò migrabit chara uoluptas,
Longior hic si te mora detinet, hinc procul, illi
Nulla etenim tecum est concordia.

FAMES.

Fortè repellit,
Tali matre satum, ne relliqua turba deorum
Audiat.

PAVPERTAS.

At nec iis mea pandere uota ferebant.

FAMES.

Non erat in te una strictè cohibere labellum,
Vt genitum nusquam, gaudens tibi prole, uocares.
Quòd si cœpissent reliqui, miser ille iacebat
Spretus ab his propria quos sub ditione tenebat.
Auro nam desunt splendentia munera puro
(Pyramis ut magnum quæ texit Amasida) nato
Quæ donare tuo posses.

PAVPERTAS.

Mihi talia desunt.
At ualeo ratione, uetat quæ fanda tacere,
Atque tacenda loqui.

FAMES.

Tritum tamen illud habetur,
Quòd rationis inops mulier sermone redundat.

PAVPERTAS.

Vir rudis hæc memorat, claras non ausus adire,
Inquiritq; rudes similes sibi: uerba, rogatis
Insulsis sapidisq; parum spondere coactæ
Dant insulsa magis, quàm si communiter esset
Fabula uana suis narrata sodalibus, ille
Iudicium cunctis pariter communicat idem,
Et pariter cunctas nimium putat esse loquaces.
Letho mille uiros uerba importuna dedere,
Rara suæ uitio mulier decepta loquacis
Linguæ, damna tulit. Statua caruisset adepta
Attica ni mentem nosset celare Leæna.

FAMES.

Hanc omni uirtute tulit cumulatior ætas,
Prisca nouis confers, nulla hac ætate Leænæ
Dotibus est æquanda.

PAVPERTAS.

Velit moderator olympi,
Nulla luat pœnas queis lingua subacta Leænam
Affecit, uerùm hæc mihi mens est, posse tacere,
Quæ possunt bona uerba loqui. Produxit, opinor,
Claras ingenio, necnon uirtutibus, ætas
Plures nostra, patrum quàm secula prisca tulere.

FAMES.

At quæ sint, si fortè placet, numerumq́; recense.

PAVPERTAS.

Quis numerare queat? cognoscere contigit unam
Cunctarum Veneres quæ continet unica cunctas,
Pandora, cunctas, cumulatior, unica laudes
Cunctarum meruit.

FAMES.

Nomen mihi pande.

PAVPERTAS.

Profanos
Arceo ne noscant, causaq́; siletur honoris.
Sufficiat tibi, nosse quòd hæc sermone benigno
Doctrina ingenio, necnon uirtute uidetur
Mirum naturæ monstrum.

FAMES.

Tibi uerba frequenter
An dare consueuit?

PAVPERTAS.

Quandoque in limine, quòd si
Ingredior, mora nulla mihi, ne fortè molesta,
Impedimenta feram: quin disturbare recuso,
Quamuis posse datur: sed qua ratione Cupido
Lædere non potuit Musas, animumq́; remisit,
Pluribus intentas rebus dum uidit: honestis
Improba tot nauans studiis, sic ista nocendi
Eripuit mentem: nam magna ex parte uidetur
Conformis ueteri (qui me meus hospes amicè
Cœpit) Aristidi, sed me tamen odit, eandem
Pauper Aristides quanto me fouit amicè:
Nec tamen idcirco meritos indignor honores
Ferre.

FAMES.

Aditus pateat tibi si tam strictus ad illam,
Excipiet me uix.

PAVPERTAS.

Eius quò ad tecta feraris,
Non ego consulerem tibi, namque domare famémque,
Affectúsque alios nouit.

FAMES.

Mihi displicet eius
Occursus, mensæ formidine Epimenidææ.

PAVPERTAS.

Fortunam sonat ore frequens, uirtutibus absque
Esse leuem nimium, fortuna absente, parumper
Virtutem conferre putat, ueneratur & ambas,
Vt semper nos illa queat uitare misellas.

FAMES.

Ergo ualere iube, placeat qua sumere in æde
Prandia, perquiras.

PAVPERTAS.

Prohibent procedere plantæ
Fessæ: quò tendam?

FAMES.

Pori properemus ad ædes,
Viribus integris ego sum, memor ille fauebit
Communis uestræ sobolis.

PAVPERTAS.

Nescire professus
Dißimulat uidisse.

FAMES.

Tenax te semper habere,
Non potuit mens, conuenias, memorabitur usum

Quo tecum gaudens de consuetudine iunctus
Ille fuit, nî fortè eius uapor humidus, ud o
Concretusq; mero, mentem turbabat, & omni
Iudicio priuabat eum.

PAVPERTAS.

Tunc ebrius ille
Non erat, epoto siquidem quis nectare nusquam
Ebrius est, fumosa uelut qui uina propinat,
Qui detraxerunt de Pyrri laudibus olim
In uinum culpam patrati criminis omnem
Coniecere: cupit uino sic Porus haberi
Insons, luxuriæ uino tegit atque pudorem
Qua mihi perductus fuit.

FAMES.

Ergo cognita fies,
Quando nulla eius turbabant uina cerebrum.

PAVPERTAS.

Vera refers, fiam, uerùm me fuste repellet
Notam quantumuis, ignoras esse superbos
Nummorum qui Ditis habent opulentis aceruos?

FAMES.

Ergo quo tendis?

PAVPERTAS.

De more sedere iuuabit
Ostia seruantem cuiusdam in limine tecti.

FAMES.

Dî perdant qui te comitabitur.

PAVPERTAS.

Ah licet opto
Degere te procul hinc (nam me facis esse miscellam)
Vel nolens uenies.

FAMES.

Tu cunctis odia noſtri
Inſeris, at lautas ſine te tot carpere cœnas
Poſſem!

PAVPERTAS.

Num miſeranda tenes te peius auaros,
Qui captant Plutonis opes tractare ſuetos?

FAMES.

Quò ferar infœlix?

PAVPERTAS.

Aulas pete, dira, potentum.

FAMES.

Accelerant nimium, prius omnia fercula menſa
Priuarent famuli, quàm illuc accedere poſſem.

PAVPERTAS.

Ergo in quæſtorum domicilia uade.

FAMES.

Nec illi
Arrident, quamuis interdum prandia ſumant
Lauta, tamen ludo, nimio plus, ſæpè uacantes,
Defraudant genium.

PAVPERTAS.

Si mauis alta δικάςων,
Pulpita conſcendas.

FAMES.

Auritos eſſe δικάςους
Fas eſt, ieiunus uerùm caret auribus omnis
Venter, ſic ratione caret quod conſulis.

PAVPERTAS.

Ergo
Num fuerit melius ſi conſiliarius ædes
Concedat proprias?

Illinc

FAMES.

Illinc migrare repentè
Consuleret, namque incumbit pro munere.

PAVPERTAS.

Vade,
Causidicosq; petas, causas orare docebunt.

FAMES.

Nil coram dicent, etenim dum uenter inanis
Murmurat, haud possunt ostendere iura clientum,
Nec quidquam calamus uacuus modulabitur usquam.

PAVPERTAS.

Mercator uisendus erit.

FAMES.

Mora longa cauebo
Sit mihi, namque breuis maceratus temporis esset
Per spatium, neque sic tractat negotia

PAVPERTAS.

Quorsum
Hæc tibi sunt curæ?

FAMES.

Subitò scelerâta uenires
Importans nocumenta mihi, rapiensq; fauorem.

PAVPERTAS.

Me ne tibi infensam credis? non credo, nec optas
Posse nocere mihi, sed tu bona surripis, hisce
Priuatus patitur dentes persæpe labore
Destitui.

PAVPERTAS.

Fundum mendicula pauper adito
Pandoræ.

FAMES.

Pete tartareas, pete, perdita, noctes.

Nil tecum nisi damna soles deferre, sed ipsa
Interdum sanis, interdum poscor ab ægris,
Nec sine me possunt Siculæ prodesse, nec usquam
Delectare dapes, me quanta molestia torquet,
Te cunctis osam quòd sim comitata!

PAVPERTAS.

Modestè
Subiiciam (quia se tenues submittere debent)
Exosam nulli nisi me sequerere, fuisse.
Verùm nos quoniam fatalia uincula iungunt,
Quidquid eris nocitura feram patienter: at unum
Te rogo, me fugias, omni ratione cauebo
Ne te comperiam, namque est sat temporis, unà
Vt simus. At memora nobis quas tendis in oras.

FAMES.

Hinc ad Pictonios cupio migrare colonos,
Hæc habitata mihi regio, cultiq; penates
Sunt ex quo Mauors illis nos appulit oris
Enecat ut reliquos, istos & inedia pascit.

PAVPERTAS.

Sæpe quidem dictis habitare solemus in oris,
Sumq; aditura breui.

FAMES.

Mora sit tibi, donec eorum
Annonam absumant me concomitante, cibisq;
Priuatos linquat uesana cupido bibendi,
Annus enim posuit paucas in uitibus uuas.

PAVPERTAS.

Vade, Deus tibi monstret iter, citò subsequar ipsa.

FAMES.

Res bene succedent sine te, properare caueto.

Actio gratiarum ad Deum optimum maximum de beneficiis omnibus, & præsertim pro recuperata sanitate patri meo.

GRatia magna tibi debetur, homunculus ipse
  Grates ex imo pectore paruus ago.
Feceris inculto non indurescere saxo,
  Quod me, nec truncum sensibus usque carens.
Nec quoque quadrupedem: cui præbent omnia sensus,
  Qui modo quod pedibus subiacet intuitur.
Sed mihi discursus recta ratione beatos
  Donasti, & summos scandere mente polos.
Et grates habeo, quòd gens non barbara nostrum
  Ortum poßideat numina falsa colens.
Quod placuit tali genitum fecisse parente,
  Qui pollet uera religione, Deus.
Qui me curauit literas ediscere, qui me
  Edocuit legis dogmata sacra tuæ.
Et grates habeo mihi quod seruaueris illum,
  Hunc mihi quod mortis non rapuere manus.
Me lethalis hyems rapiat, Deus optime, posco,
  Ocyus orbatum quàm uelit esse patre.
Scilicet extincto, priuarer luce, parente,
  Si non: mors nobis relliqua uita foret.
Hunc mihi conserua, rerum, pater optime, custos
  Quo sine nil tutum: quo sine dulce nihil.

Ad

Ad Claudiam Turnoniam, de eius nuptiis.

INfantes pueri fiunt crescentibus annis,
Et pueros ardor pòst iuuenilis habet.
Infantem fecit te Parca parentibus orbam,
Queis dedimus tumuli pectora nostra uice.
Gratia rectori debetur maxima summo,
Debetur patri gratia magna tuo.
At qui te mediante Deo seruauit ab omni
Noxa, plus meruit quàm pater ille tuus.
Infans quæ fueras facta es formosa puella,
Et nunc sis mulier splendida, nupta uiro.
Opto Deus faciat uos pulchra prole parentes,
Et faciat prolem moribus esse probis.
Opto tibi thalamos obscœna labe carentes,
Prosper hymen tibi sit, faxit, amabo, Deus.

TVMV

TVMVLI.

In obitum nobilis puellæ Mariæ Turnoniæ consobrinæ meæ.



Audia quot noster nostris genitoribus ortus
Intulit, hæc mecum cuncta sepulta iacent:
Et quos dixisses, dũ nascerer ipsa, renasci,
Dum morior, nec eos spiritus intus alit.

Nobilis viri Claudij Turnonij, auunculi mei.

CVr hunc, chare nepos, lapidem tot fletibus ungis?
Quidue bibenda sacræ munera fundis humo?
Quorsum sacratæ resonant tot luctibus ædes?
Euacua mentem fletibus ipse tuam.
Nam mihi quæ syncera fuit sine crimine uita,
Tecta super summos condidit alta polos.

Nobilis matronæ matris meæ Agathæ à Guttis.

SIste gradum reuocans, ac mecum cerne, uiator,
Quantas uirtutes obtegat hic tumulus.
Nobilis hìc matrona iacet (de semine cuius,
Exagitor causa funeris, ortus ego)
Vnà uirtutem mors hanc demisit in urnam,
Illius at famæ non fuit urna capax.

Antoniæ

Antoniæ à Guttis, Manes matris meæ loquuntur.

HIc quoque tu, germana, iaces, cineresq; paterni:
Et nobis tumulus sat fuit iste tribus.
Viximus unanimes, sic respiramine clauso,
Vno donauit tres Atropos tumulo.

Genouefæ Chalancon auiæ meæ, ex matre.

CVr humeris toga nigra meis aptatur? ob almæ,
Si nescis, auiæ funera mœsta tuæ.
Quid memoras? lethalis hyems tibi sustulit illam,
Sustulit? ô nigra lux mihi digna nota.
Vt niger iste dies uitæ quo lumen ademptum
Est tibi, sic & eris marmore tecta nigro.

Adolescentis ingenui Iohannis Turnonij consobrini mei.

PArca quod ad stygium iuuenem te stamine nondum
Rupto, immatura morte coegit iter,
Lugeo, spes de te fœlix pascebat amicos,
Ocyus & te mors præcipitata necat.
Publica sperabas, tibi iamq; domestica curæ,
Mors non est primos passa uidere thoros.
Quorsum uita malos longum producit in æuum?
Extremamq; bonis fert cita Parca diem?

Petri B. Doctoris Medici.

HIc suadela iaces, hic lingua sepulta Periclis.
Magnus Aristoteles hic iacet atque Plato.
Quis neget hæc, omnes primùm si nouerit hosce,
Tecum iterum natos Petre fuisse uiros?

Martini Crusilij, qui obiit ex prunorum immaturorum esu.

MAturus toto fuerat qui tempore uitæ,
Immatura neci pruna dedere uirum.
Maturum bello se immaturumq; lacessunt,
Hoc uult maturi perdere quicquid inest.
Maturam quando mentem superare nequiuit,
Corpus maturum mors inimica necat.

Nobilis Omnisanctæ Terrassæ auiæ meæ ex patre.

HVic quicunque faber faciendam suscipis urnam,
Vel facias nullam, uel sit ut ampla, uide.
Sint ubiuis etenim, manes comitabor auitos,
Vel proprio inclusi pectore semper erunt.

Nobilis mulieris Annæ de Glauenas amitæ meæ.

DIogenes capta fertur petiisse laterna,
Clara luce probum, nec reperisse, uirum.
Si bona quæratur mulier, labor omnis inanis,
Mortua cum sit, in hoc Anna sepulta solo.

Bonæ indolis & spei adolescentis Philippi Chaussæi.

DEseruit proprios uirtutis amore penates
Exemplum, pubes cætera Galla, tibi.
In medio currit stadio, spes ludit amicos,
Quorsum uirtuti parcere Parca nequis?
Accuso Parcas, Parcas pietate carentes,
Crudeles Parcas, quas mora nulla iuuat.

Dorotheæ

Dorotheæ Verderiæ ſororis meæ.

CVrſibus æquarat bis iam Latonius orbem,
Ex quo lux patuit conſpicienda tibi.
Cùm te ſumma dies priuauit lumine uitæ,
Cùm te fata mihi ſubripuere, ſoror.
Subripuere? Libens mortalia cuncta reliqui,
Corpore mortali ſum ſpoliata libens.
Viuere mortales inter, uirtutibus abſque,
Mors potius dulcis, quàm mihi uita foret.
Virtutes noſtro ſunt in genitore locatæ
Omnes, ſicq; mihi nulla ſuperſtes erat.
Nulla per ætatem dum labes inficit, ergo
Eſt ſatius nullo crimine tacta mori.

Iohannis de la Mure ſobrini mei.

TE labor in ſtudiis captus Phlegetontis ad undas
Miſit, & Eliſias fecit adire uias.
Luna ter obſcuros conſcenderat improba currus,
Clauſerat haud ſomno lumina preſſa graui.
Abripuit tandem labantes ſomnus ocellos,
Præbuit ac ſtudiis impedimenta tuis.
Hoc ſimul ut ſentis, corpus mortale relinquis,
Mentis ſponte fugans impedimenta tuæ.

Hieronymi Verderij fratris mei.

EDitus in lucem mihi uix fraterculus iſte
Emoritur, nec cum uiuere poſſe iuuat.
Scilicet è terris conſcendit ſydera uirtus,
Virtutem ſequitur ſydera ſumma petens.

Patrem Lugduno donec Lutetia reddat,
  Expectat uiuens, fit mora grata suis.
Et sustentat adhuc uirtus genitoris alumnum
  Post tamen Astræam quærit ad astra uolans.

Benedicti de Fonte Aruerni, dantis operam Philosophiæ Parisiis.

HIc situs est fontis, latos qui proluit agros,
  E mediaq; suas Phocide duxit aquas.
Dulcior huius erat quondam potione deorum
  Lympha: sed est lachrymis reddita salsa meis.

F. Iacobi Nemi Lugdunensis ordinis Fratrum Prædicatorum.

SPiritus ardebat feruens uirtutis amore,
  Fluxit per uenas feruida flamma tuas.
Accessit febris, flammæ superadditus ignis,
  Est tibi sic duplici uita sublata rogo.

M. T. Caussarum Patroni in supremo Paris. Senatu.

ISTius quondam iudex pendebat ab ore,
  Causam pro merito iure clientis habens.
Nunc incorrupti pendet Minois ab ore,
  Expectat uitæ iudiciumq; suæ.
Qui uirtutis acer fuerat defensor, ab illa
  Accipit alternas auxiliante uices.

FINIS TVMVLORVM.

AD PATREM PArisiis discedentem.

Æternis gaudere bonis qui uescitur aura
 Non puto, quin semper sint mala mixta bonis.
Pæonis arte ualens, dulci comiscet amarum,
 Ebibat ut morbus quem tenet aßiduus:
Sic fortuna homines illudit, mollia sæpè
 Commiscens duris, prospera sæpè malis.
Quem modo spectabat uultu fortuna sereno,
 Extemplò alternis angitur ille malis.
Est suetus sclopum tumidis emittere buccis,
 Est modo qui cuncto paupere pauperior,
Et modo permagnum tollebat splene cachinnum,
 Cui reddit madidas lacryma multa genas.
Hic dapibus gaudet Siculis, qui lumina sursum
 Attollens metuit ne cadat esse miser.
Et nunc usura uitæ gaudebat amœna,
 Quem modo lanificæ percutiere deæ.
Crinitisque subest ille angue sororibus atro,
 Qui modo marmoreo sederat in solio.
Et modo legebat flores Proserpina, mittit
 Hanc loca, perpetuæ noctis, in ima chaos.
Si tulit ulmorum coniux fœcunda racemos
 Cultori, quot fert sydera clara polus.
Hic si permulta lætatur messe recepta,
 Bos periit, cultor quem dolet ipse domi.
Si fortuna iubet uentis gaudere secundis
 Horæ per spatium, nauta sopore cadit.
Protinus exoritur tempestas, fluctibus altis

Obruta, tum saxis, tota carinna perit.
Et longo uehitur tractu mox alta per auras,
Et mox hæc præceps in freta salsa cadit,
Denique prætereunt in puncto gaudia, mæstus
Cunctáque subsequitur gaudia fluxa dolor.
Nam mihi Lugdunum te festinare molestum est,
Gratum ut Parisios adproperasse fuit.
Restat ut ore tuis iungamus basia palmis
Inuitúsque uale dem, Pater, ecce, uale.
Hoc tamen adiiciam, si quid tibi præparat Ate,
Vt fautrix soboles sit Iouis opto tibi.



HAEC sunt, charissime Pater, quæ tibi decreueram offerre tanquam specimen studiorũ meorum, vt perspectũ haberes me nõ semper otiosè vixisse. Multa equidem alia potuissem hîc apponere, sed quẽadmodum frugum primitiæ quæ solent ante tempus ex arboribus decerpi maturæ nõ sunt vt plurimum, sic non possum non fateri, conceptus mentis meæ cum produxerim annũ agens dumtaxat decimumquintum, quin hæc docti homines flocci faciant, tanquam rudia, & parũ concinna, qua de causa maximã partem tenebris inuolutam reliqui, ne quid exiret ineptius, quòd si exiit ætas, veniam deprecatur.

Errata sic corrigito.

Pagina 7. versu 10. ad S. Genes. lege ad Sangelasium. 2.6. almæ, almas. 5.9. gallicæ, gallicè. 13.16. Lycurgum solitum, Lycurgus solitus. 19.7. & 28. lenititudo, lentitudo. 24. 14. consistituit, constituit. pag. eadem. vers. 25. sortite, sortiti. 29.17. λέλογε. λέλογχε.

